Q. D.

INSIGN

ROMANAE

VARIAT

CIRCA S. EVO

FAC

P R AE

D. SALOMONI

S. S. THEOL. PROF.
CIZENSI, CONSISTORII ASS
CAE SENIORE, AD D. NICO
SEOS LIPSIENSIS S

PATRONO ATQVE
AETERNVM D

IN ACADEMI
EX IDONEIS
ENAR

M. CHRISTIAN

LIPSI

AVCTOR ET

IPSIS NONIS MA

H. L.

L I P
LITERIS IMMA

Q. D. B. V.

IGNIORES
AE ECCLESIAE
ATIONES
EVCHARISTIAM
ACTAS

AE S I D E

ONE DEYLINGIO

OF. P. ORD. CANONICO
RII ASSESSORE, NATIONIS MISNI-
D. NICOLAI PASTORE ET DIOECE-
NSIS SVPERINTENDENTE

QVE PRAECEPTORE SVO
IVM DEVENERANDO

EMIA LIPSIENSI
EIS MONIMENTIS
E NARRABIT

AN GABRIEL BAVER

LIPSIENSIS
OR ET RESPONDENS
IIS MAIIS M DCC XXVI.
H. L. Q. C.

L I P S I AE
IMMANVELIS TITII.

TOTIVS DISSERTATIONIS BREVIARIVM.

§. I. *Boſſueti inſtitutum in libro de Variationibus Eccleſiarum Proteſtantium exponitur.* §. II. *Liber cum applauſu exceptus in papatu, ſed inſtitutum novum non eſt. Noſtrates ab objecta varietate, circa doctrinam ac ipſa ſymbola facta, purgantur. Argumentum Boſſueti in Pontificios retorquetur.* §. III. *Ratio celebrandae S. Euchariſtiae ab initio ſimplex.* §. IV. *Linguae vernaculae uſus in Chriſtianorum ſacris usque ad ſeculum ſextum. Aſtutia Pontificum in retinenda et aliis populis perſuadenda Liturgia Romana ac Latina.* §. V. *Renaudotii ſtudium in defendendo ejus uſu enarratur.* §. VI. *Refellitur.* §. VII. *Communio ſub una ſpecie in Eccleſia ante ſeculum XII. ignota. Io. Mabillonii candor. Calicis ſubtracti novitas.* §. VIII. *Solitariarum miſſarum celebratio ſequioris aetatis naevus. S. Euchariſtia olim quotidie et ab omnibus fidelibus, qui praeſentes erant, ſumenda.* §. IX. *Ejus conſecratio olim per preces*

facta. Ritus antiquitas ex vetustissimo Graecae Latinaeque Ecclesiae usu repetenda. Huetius notatus. §. X. *Hodie Romana Ecclesia abolita* ἐπικλήσει *consecrationem solis verbis institutionis adscribit.* §. XI. *In Missa dicitur offerri corpus et sanguis Christi, sed in prisca Ecclesia panis duntaxat et vinum censebantur offerri, quod testimoniis veterum ample probatur.* §. XII. *Christum in Missa vere immolari pia antiquitas nusquam tradidit. Commentum impugnatur. Ejus novitas.* §. XIII. *Cur S. Eucharistia dicta* Θυσία *et oblatio?* §. XIV. *Transsubstantiationis nomen et dogma ab Innocentio III. sancitum, genuinae antiquitati inauditum* §. XV. *Refellitur perspicuis veterum testimoniis* §. XVI. *respondetur ad Mabillonii et Renaudotii objectiones. Realis corporis et sanguinis Christi in S. coena praesentia luculenter asseritur. Grabius notatus. Quid transformare? Mabillonius et Huetius notantur.* §. XVII. *Adoratio sacramenti. Ejus assertores.* §. XVIII. *Cultus novitas, absurditas et perpetuum foedissimae idololatriae periculum ex ipsis Pontificiorum hypothesibus ostensum.* §. XIX. *De Eucharistia in altari consecranda. Veteres Christiani altaria proprie dicta non habebant. Quando ceperit altarium consecratio et multitudo in Templis?* §. XX. *Missae in honorem sanctorum celebrandae ex libris Liturgicis describuntur. Erroris gravitas et novitas.* §. XXI. *Conclusio.*

I. N. J.

I. N. J.

§. I.

IACOBVS BENIGNVS BOSSVETVS, Condomiensis primo, deinde Meldensis in Gallia Antistes, perinsignis Romanae Ecclesiae advocatus, et promachus peculiari libro (*) probare voluit, veram Christi Ecclesiam nunquam variasse, nec sententiam mutasse. Hanc sententiae nunquam variatae gloriam tam certum et evidentem verae Ecclesiae characterem esse opinatur, ut palam pronunciaverit promiseritque, sese, si vel minima Romanae Ecclesiae inde a Christiani nominis origine inconstantia ac varietas ostendi posset, caussa, quam defendendam susceperat, cadere velle. (**) Cumque certus confirmatusque esset, Romanam Ecclesiam nunquam variasse, contra autem sibi observasse videretur, Protestantes post suam ex Romana Ecclesia discessionem non pauca doctrinae capita, quin et ipsa symbola, immutasse, ac nova condidisse, in eam abiit sententiam, coetus a Romanis sacris dissentientes non esse veram Ecclesiam Christi, quippe quae prorsus

(*) *Histoire des Variations des Eglises Protestantes.*

(**) Praefatione ad eum librum §. *XXVI. p. m. XXIX.* his verbis: *Que si par de telles preuves* (des decisions de foy authentiques & des faits constants) *ils nous montrent la moindre inconstance, ou la moindre variation dans les dogmes de l' Eglise Catholique depuis son origine jusqu' à nous, c'est à dire, depuis la fondation du Christianisme; je veux bien leur avouër, qu'ils ont raison, & moy-méme j'effacerai mon histoire.* Idem BOSSVETVS inculcavit in *Expositione Doctrinae Catholicae Artic. XIX. p. m.* 85. dicens, *que l' Eglise Romaine a declaré par toutes ses Conciles & par toutes ses professions de Foi, qu'elle a publiées qu'elle ne reçoit aucun dogme, qui ne soit conforme à la Tradition de tous les siecles précédens.*

ſit invariabilis in fide. Hanc univerſi libri ſummam exhibent Ignatiani Ordinis Patres, qui Commentarios Trevoltienſes, rei literariae inſervituros, adornarunt, monentes, BOSSVETVM per univerſum librum de *Proteſtantium Variationibus* ſcriptum, hunc Syllogiſmum urgere: Quicunque coetus eſt vera Eccleſia Jeſu Chriſti, ille nunquam variavit in fide. Sed Eccleſiae Proteſtantium variarunt in fide. Ergo non ſunt Eccleſia vera. Vid. *Memoires de Trevoux MDCCI. Menſe Jan. p. 2.*

§. II.

Dici vix poteſt, quanto applauſu hoc BOSSVETI inſtitutum exceptum fuerit in Gallia non ſolum, ſed et in Italia, ac in ipſius Pontificis aula. Pleriſque enim hoc argumentum videbatur decretorium, et ineluctabile, quod nulla arte eludi, nullaque induſtria labefactari ac convelli poſſet. Neque nos negamus, illum BOSSVETI libellum eo eruditionis apparatu, eo Gallicae dictionis flore, eaque aſtutia conſcriptum eſſe, ut lectores minus eruditi, et hiſtoriae temporisque, quo ſacra noſtra a ſordibus Pontificiis purgari coeperunt, minus periti, facile occupari, et in erroris conſenſionem, inſidiasque peraſtute ſtructas, induci poſſint. Argumentum equidem ab inconſtantia in doctrinae profesſione ſumptum, quo Praeſul Meldenſis Proteſtantes oppugnavit, non eſt recens eius inventum. In aciem iam productum fuit a TANNERO, GEORGIO SCHERERO ac ipſomet Annalium Eccleſiaſticorum Conditore CAES. BARONIO *Tomo III. ad A. Ch. CCCXLIV. §. IX. f. 578.* Conferatur NICOLAI HVNNII *Apoſtaſia Rom. Eccl. p. 224.* Sed nemo adverſariorum maiori ardore, ingenioque et arte, hunc arietem agitavit, quam BOSSVETVS, una quaſi et decretoria pugna litibus diuturnis, et tanta animorum diſſenſione huc dum agitatis, impoſiturus finem. Cumque decem annos iſti libro conficiendo expoliendoque inſudaſſe dicatur, et auctori nec induſtria, nec ingenium, nec eruditio et facundia defuerint, facile intelligitur, quanta commoda ab iſto inſtituto ſibi promiſerint Romanenſes.

Nec

Nec specie et fuco caret obiectio, a multiplici doctrinae ac symbolorum variatione sumta. Veritas quippe simplex est, et perpetuo ac ubique sibi constans. Contra mendacia et errores in mille formas solent abire. Nec leviter nos urgerent adversarii, si probare possent, pios nostros maiores ac confessores divina doctrinae Christianae capita, ac illa praesertim, quae fidei attingunt fundamentum, in deterius mutasse. Verum hoc ipsum adhuc praestare non potuerunt. Nam quando B. noster LVTHERVS unam alteramque sententiam erroneam, in papatu olim conceptam et altius animo infixam, post coeptum emendandorum sacrorum negotium demum abiecit, mutatio illa non reprehendi, sed laudari debet, quia non in deterius, sed in melius facta est. Lumen diurnum non uno momento tenebris succedit, sed sensim paullatimque ex iis emergit, oriente et altius assurgente sole. Sic tempus, oratio, tentatio, exercitatio, et diuturna sacrarum literarum lectio ac meditatio multa subinde nos docent, quae antea ignorabantur, aut minus recte et dilucide intelligebantur. Aliud praeterea est mutare ipsam doctrinam, et aliud est mutare dumtaxat παιδείας τρόπον, loquendi formulas, et unam ac alteram vocem. Nec privatae nonnullorum Doctorum opiniones aut variationes confestim universae tribui debent Ecclesiae, quando praesertim ab iis abhorret, et alibi suam sententiam publice declaravit. Id quod de PHILIPPO MELANCHTHONE cumprimis notandum, cujus inconstantiam animi et singulares opiniones nostra Ecclesia semper improbavit. Male igitur nobis tribuuntur a BOSSVETO, variationes nostrae Ecclesiae inde probaturo. Nos e contrario majori jure Romanensibus exprobramus variationes in doctrina factas, quando desertis abjectisque plurimis Apostolicae doctrinae capitibus, errores, et manifestas corruptelas adoptarunt, easdemque in Concilio Tridentino sub dirarum imprecatione contra dissentientes confirmarunt. Cumque BOSSVETVS non sine applausu suffragiisque Ecclesiae Romanae docuerit, inconstantiam in doctrina falsae Eccclesiae

indi-

indicium esse, ac ipsemet claris verbis declaraverit, Romana placita fortius refelli non posse, quam si monstretur, in Ecclesia Romana factam esse aliquam doctrinae mutationem, nos eo defungemur labore, et impraesens ostendemus, quantopere desciverint Romanenses non solum a prisca rituum simplicitate, sed et ab ipsius Apostolicae doctrinae puritate in S. Eucharistiae administratione.

§. III.

Administratio S. Coenae ab initio simplicissima et absque tanto variorum et superstitiosorum rituum apparatu fuit, qualis postea accessit. Id satis apparet ex JVSTINI MARTYRIS *Apologia prima pro Christianis* §. *LXXXVII. p. 131.* edit. Oxoniensis. Καὶ τῇ τοῦ ἡλίου λεγομένῃ ἡμέρᾳ πάντων κατὰ πόλεις ἢ ἀγροὺς μενόντων ἐπὶ τὸ αὐτὸ συνέλευσις γίνεται, καὶ τὰ ἀπομνημονεύματα τῶν ἀποστόλων, ἢ τὰ συγγράμματα τῶν προφητῶν ἀναγινώσκεται μέχρις ἐγχωρεῖ. Ἔιτα παυσαμένου τοῦ ἀναγινώσκοντος, ὁ προεστὼς διὰ λόγου τὴν νουθεσίαν καὶ πρόκλησιν τῆς τῶν καλῶν τούτων μιμήσεως ποιεῖται· ἔπειτα ἀνιστάμεθα κοινῇ πάντες, καὶ εὐχὰς πέμποπεν· καὶ, ὡς προέφημεν, παυσαμένων ἡμῶν τῆς εὐχῆς, ἄρτος προσφέρεται, καὶ οἶνος καὶ ὕδωρ. Καὶ ὁ προεστὼς εὐχὰς ὁμοίως καὶ εὐχαριστίας, ὅση δύναμις αὐτῷ, ἀναπέμπει, καὶ ὁ λαὸς ἐπευφημεῖ λέγων τὸ Ἀμήν· καὶ ἡ διάδοσις καὶ ἡ μετάληψις ἀπὸ τῶν εὐχαριστηθέντων ἑκάστῳ γίνεται, καὶ τοῖς οὐ παροῦσι διὰ τῶν διακόνων πέμπεται. *Et solis, qui dicitur, die, omnium, qui vel in urbibus aut agris degunt, in eundem locum conventus fit: et Commentaria Apostolorum aut scripta Prophetarum, quoad tempus fert, leguntur. Deinde, lectore quiescente, praesidens orationem, qua populum instruit, et ad imitationem tam pulchrarum rerum cohortatur, habet. Sub haec consurgimus communiter omnes, et precationes profundimus: et, sicuti retulimus, precibus absolutis, panis offertur, et vinum, et aqua; et Praepositus itidem pro virili sua preces et gratiarum actiones sursum mittit: et populus fauste acclamat, dicens: Amen, et distributio atque communicatio consecratorum fit, unicuique praesenti: et absentibus per Diaconos mittitur.*

Idem

Idem etiam apparet ex AMBROSIO, CHRYSOSTOMO, AVGVSTINO, et ex ipso WALAFRIDO STRABONE sequioris aetatis scriptore, Pontificiis magni aestimato, in libro de *Rebus Ecclesiasticis*, qui exstat *T. X. Bibliothecae Patrum Magnae, Cap. XXII. fol. 680. Quod nunc agimus, multiplici orationum cantilenarum et consecrationum officio, totum hoc Apostoli et post ipsos proximi, ut creditur, orationibus et commemoratione passionis Dominicae, sicut ipse praecepit, agebant simpliciter. Et relatio majorum est, in primis temporibus Missas fieri solitas, sicut modo in parasceve Paschae, in quo die apud Romanos Missae non aguntur, communicationem facere solemus, id est, praemissa oratione Dominica, et sicut ipse Dominus noster praecepit, commemoratione passionis eius adhibita corpori Dominico communicasse, et sanguini, quos ratio permittebat.* Ita vero, docente STRABONE, una dumtaxat vice per totum annum apud Pontificios verae ac genuinae antiquitatis vestigium occurrit! Addimus BERNONEM, Augiensem Abbatem idem confirmantem, in libello de *Quibusdam rebus ad Missae officium pertinentibus T. X. Bibl. Patr. Paris.* Cap. I. f. 697. *In exordio nascentis Ecclesiae non eo, quo nunc modo, vel ordine, sacra celebrabantur missarum solennia, teste etiam beatissimo Gregorio* PAPA, *qui inter multa, quae constituit, utilia, cum in celebratione Missarum, tum etiam in vario ecclesiasticarum rerum usu, ad conficiendum corpus et sanguinem Christi, orationem Dominicam fecit decantari, sicut de eo scriptum est: Orationem Dominicam mox post canonem super hostiam censuit recitari. De hoc et de aliis cum quosdam murmurare sentiret piissimus Pater, inter alia non dedignatus est hujusmodi rationem reddere, dicens:* Orationem Dominicam idcirco mox post precem dicimus, quia mos Apostolorum fuit, ut ad ipsam solummodo orationem, oblationis hostiam consecrarent. *Et valde mihi inconveniens visum est, ut precem, quam scholasticus composuerat, super oblationem diceremus, et ipsam traditionem, quam Redemptor noster composuit, super ejus corpus et sanguinem non diceremus. Sed crescente statu religionis, simul accrevit decus*

ecclesiastici honoris. Idem BERNO, qui seculo vixit Hildebrandino, ibidem testatur, Canonem Romanum totum non unum solum composuisse, sed per tempora aliud alium interposuisse vel adjecisse. Inde satis apparet, primis Ecclesiae Christianae temporibus, et deinceps, perpaucos in S. Eucharistia ritus adhibitos, postea autem in Ecclesia Romana in immensum auctos, et ita multiplicatos esse, ut pompam magis theatralem agi, quam sacramenti a Christo instituti administrationem fieri, existimare possis. Praecedit in Missarum solemnibus varia Sacerdotis celebraturi praeparatio. Sequitur introitus, seu orationes variae, hymni, Antiphonae seu cantus alterni, salutatio, Collecta, Lectiones, Graduale seu Responsorium chori, Offertorium et alia Canoni praevia, Canon ipse, secreto a Sacerdote dicendus, in quo orationes variae, Consecratio, elevatio, commemoratio mortuorum, Oratio Dominica. Tandem fit communio, inde Postcommunio et Consummatio Missae. Sed antiqua Ecelesia amabat simplicitatem, et hunc precum, ceremoniarum inutilium, et gesticulationum apparatum ac pompam, profunde ignorabat.

§. IV.

Servator sanctissimus in hujus sacramenti institutione usus est lingua Syro-Chaldaica, quae eo tempore Hierosolymis vulgaris, et vernacula Judaeis erat. Christi exemplum secuti sunt Apostoli et Apostolici viri, qui omnes verba fecerunt, et sacra administrarunt ea lingua, quae suis auditoribus erat usitata et nota. Legatur I. Cor. XIV. Ab illo tempore linguae vernaculae usus in publicis omnium Ecclesiarum sacris, ut ex libris veterum Liturgicis apparet, per multa secula duravit. Syri Syriace, Graeci graece, Coptitae coptice, publice orabant, et sacra celebrabant, ut plebi et illiteratis etiam totius Liturgiae ratio et cultus divinus constaret. Ipsa Romana Ecclesia non aliam adhibebat linguam, quam latinam, quae per universum occidentem olim vulgatissima erat. JAC. VSSERIVS, Praesul Armachanus, Patrum Graecorum et Latinorum testimoniis, quæ produxit, manifestum fecit, prioribus sex a Christi adscensione seculis, linguam peregrinam

in

in ſacris nondum fuiſſe receptam. Videatur *Hiſtoria* ejus *Dogmatica de ſcripturis et ſacris vernaculis ab* HENRICO WHARTONO Londini An. MDCXC. cum auctario edita Cap. II. et III. Poſt illa tempora, barbaris in Romani Imperii provincias effuſis, factum eſt, ut lingua latina, quae nationibus Romano Imperio ſubjectis, communis erat, valde corrumperetur, et in diverſas degeneraret dialectos. His temporum injuriis ortum debent Gallica, Hiſpanica et Italica linguae, quae in locum ſucceſſerunt Latinae, quae deſiit eſſe vernacula, in Eccleſiaſticis autem officiis retenta, ad alios etiam populos, Chriſtianis ſacris initiatos, ita tranſiit, ut ab eo tempore in Germania perinde ac Italia, Gallia, Hiſpania, Britanniaque, ac alibi, non aliae uſurparentur formulae liturgicae, quam Latinae, et populo incognitae, quarum conſervatio et uſurpatio ad amplificandam auctoritatem Pontificiam, eandemque ad varias gentes propagandam, perutilis videbatur et accommodata. Olim, judice LAVRENTIO VALLA, Romanum imperium eſſe videbatur, ubicunque Romana lingua dominabatur. Et quemadmodum Roma vetus, imperioſa civitas, operam dabat, ut non ſolum jugum, verum etiam linguam ſuam domitis gentibus per pacem ſocietatis imponeret, teſte AVGVSTINO *de Civit. Dei L. XIX. Cap. VII. f. 417.* Edit. Benedict. et magiſtratus priſci Romanorum, ne Graecis quidem unquam, niſi latine reſponſa dabant, nec in ſenatu ullos audiebant, niſi latine verba facientes: ita Romani Pontifices admodum fuerunt ſoliciti, ut Latina Liturgia, etſi non intelligeretur a plebe, in ſacris retineretur, tanquam indicium et argumentum Romanae auctoritatis, et juriſdictionis in Eccleſias omnes, Romano ſermone in ſacrorum adminiſtratione utentes, citra controverſiam exercendae. Eum etiam in finem HADRIANVS Papa Romanum Sacrorum ordinem, in omnes Occidentis Eccleſias introducendum, CAROLO M. commendavit, qui Pontifici gratificaturus, GREGORII M. Sacramentarium, quo Romani utebantur, et hodienum utuntur, in Gallicanas aliasque Eccleſias, ſuo imperio in Gallia, Germaniaque ſubjectas, introduxit,

 duxit,

duxit, et edicto sancivit, ut unusquisque presbyter Missam celebraret Ordine Romano, ut legitur in *Capitularium Libro V. Cap. 371.* editionis novae, *alias 219.* Idem magno molimine tandem evicit GREGORIVS VII. ab Hispanis, a patriis ac avitis ritibus, et Mozarabicae missae usu, aegerrime discessuris. Candide fatetur JO. MABILLONIVS *in Praefatione ad Liturgiam Gallicanam*, id ardentissimum Rom. Pontificum studium semper fuisse, ut Romanae Ecclesiae ritus aliis Ecclesiis persuaderent, quia existimarint, ea rituum in divinis officiis similitudine et concordia illas facilius in Romani Pontificis obsequio contineri posse. Quo calamitosior ea res fuit Ecclesiae, eo pulchrius tamen spei Pontificum respondit eventus. *Dici enim non potest, quantum illud institutum, a Carolo M. imprudenter adjutum, promotumque, et Gallicis Ecclesiis caliginem offuderit, et Pontificibus Romanis auctoritatem in negotiis religionis tribuerit*, teste FR. HOTOMANNO in *Franco-Galliae* Cap. II.

§. V.

EVSEBIVS RENAVDOTIVS, Abbas in Gallia eruditissimus, cui Collectionem Liturgiarum orientalium, praestantissimis notis et Dissertationibus illustratam, debemus, in Dissertatione Tomo primo praemissa de *Liturgiarum Orientalium origine et auctoritate Cap. VI. p. XLIII.* minus aequam tulit censuram de VSSERII libello antea laudato. Farraginem appellat testimoniorum inutili labore, et sine judicio collectorum. Fatetur equidem, antiquitus Graecos Graece, Coptitas Coptice, et Syros Syriace, lingua omnibus hisce populis vernacula, sacra celebrasse. Sed hodierno tempore rem multo aliter sese habere. Nam Syriacam linguam, qua Syri orthodoxi, Jacobitae, et Nestoriani inprimis in Syria non tantum, sed et in Persia, Tartaria, India et amplissimo Sinarum regno, in sacris celebrandis hodienum utantur, jam ab aliquot seculis desiisse esse vernaculam, et a plebe non magis intelligi, quam a nostris linguam Latinam. Idem affirmat de Coptitis vel Jacobitis in Aegypto, sacra officia Coptico sermone celebrantibus, qui ante Muhammedana tempora

pora vulgaris fuerit, dudum autem in desuetudinem abierit, Arabico in ejus locum et vulgarem usum succedente. Plebi igitur Aegyptiorum Christianorum, et illiteratis priscam linguam Copticam hodie aeque esse incognitam, ac Habessinis hodiernis linguam veterem, qua scripta sit eorum liturgia, et quae Amharica soleat dici. A nemine quippe intelligi, nisi ejus notitia studendo comparetur. Paullo post contendit, nullam in oriente Ecclesiam sermone vernaculo sacra celebrare, et omnes antiquam linguam retinuisse. Orientalium igitur exemplo disciplinam Romanam circa usum linguae peregrinae in sacris mirifice confirmari, et Protestantium argumenta refelli posse.

§. VI.

Nos Romanae Ecclesiae non invidemus argumentum a Syrorum, Coptitarum et Aethiopum consensu, ac ritus conformitate petitum. Quis nescit, maximam eorum coetuum partem non solum errore Nestoriano et Monophysitico infectum, sed eorum etiam conditionem miserrimam esse, dum sub jugo Mahumedano gemunt, et literarum cultu destituti, in summis ignorantiae tenebris et barbarie vivunt, et vix quidquam Christianum, praeter baptismum et nomen ac cerimonias quasdam, retinuerunt. Habeat igitur hos defectionis et erroris socios RENAVDOTIVS, sed videat, quam gratam rem fecerit Ecclesiae et curiae Romanae, cujus morem et institutum nullis aliis argumentis potuit defendere, quam suffragiis, et consensione, a corruptissimis Christianorum coetibus, quin et a barbarorum et infidelium exemplis, petita. Provocavit quippe non tantum ad Nestorianos et Jacobitas in oriente, sed et ad Judaeos hodiernos, qui etsi linguam Hebraeam non amplius habeant vernaculam, tamen non aliter, quam Hebraice preces suas publice privatimque recitent, quin et ad ipsos Turcas, Persas, et Tartaros Arabice nescientes, et Alcoranum tamen Arabice legentes, in Dissertatione *Tomo II.* praemissa, *de Syriacis Melchitarum et Jacobitarum Liturgiis* §. *XXXV.* Nostra opinione errantium multitudo errori nullum parit patrocinium.

 Quanto

Quanto nos sumus feliciores, qui linguae vernaculae usum in sacris defendentes, Pontificiis opponere possumus sanctissimi Servatoris et Apostolorum exemplum, veterumque Ecclesiarum omnium tam Graecarum, quam Latinarum consuetudinem, et usum, per DC amplius annos constanter observatum. Veteres quippe omnes recte sapienterque censuere, publicum Dei cultum et sacramentorum usum, precibus et celebratione nominis divini, ad universi populi aedificationem peragendum, lingua vulgari et omnibus nota, fieri debere. Praeter VSSERIVM conferatur MATTH. LARROQVANI *Histoire de l'Eucharistie P.I. Cap. VI. p. 59. 63.*

§. VII.

In veteri Ecclesia vinum consecratum non minus quam panis, omnibus ad sacrum hoc epulum accedentibus, solebat dari. Neque enim, ut in missis privatis solent Pontificii, solus sacerdos edebat et bibebat, sed panem ac calicem consecratum fidelibus, qui praesentes erant, distribuebat. Rei fidem facit JVSTINVS M. *Apol. I.* §. *LXXXVII. p. m.* 132. edit. Grabianae, ἡ διάδοσις καὶ ἡ μετάληψις ἀπὸ τῶν εὐχαριστηθέντων ἑκάστῳ γίνεται, *Distributio communicatioque fit eorum* symbolorum, *in quibus gratiae sunt actae, cuique praesenti.* Loquitur Sanctus Martyr de pane et vino gratiarum actione consecratis, quae non sacrificari, nec reponi, nec circumgestari, adorarique, sed populo distribui solebant. Eandem priscae Ecclesiae consuetudinem idem JVSTINVS paullo ante commemorat his verbis: Diaconi διδόασιν ἑκάστῳ τῶν παρόντων μεταλαβεῖν ἀπὸ τοῦ εὐχαριστηθέντος ἄρτου καὶ οἴνου καὶ ὕδατος, §. *LXXXV. p.* 127. Ea consuetudo a Christo tradita, et in Apostolica Ecclesia constanter observata, diutissime in Ecclesia duravit, nec quisquam de calice laicis subtrahendo olim cogitavit. In Hierosolymitana Ecclesia utrumque symbolum laicis porrigebatur. Hinc CYRILLVS HIEROS. Catechumenum erudit *Catech. Myst. V. cap. ult. p.* 301. edit. Oxon. *Tum vero post communionem corporis Christi* προσέρχου καὶ τῷ ποτηρίῳ τοῦ αἵματος, *accede et*

et ad calicem sanguinis. In ipsa Romana Ecclesia tempore LEONIS M. solebant fideles S. Eucharistiam sub utraque specie sumere. Qui aliter faciebant, infami haereseos signo palam notabantur. Nam cum circa A. CCCCXLIII. plures Manichaei a Vandalis ex Africa ejecti, Romae latebras quaererent, et quo tutius laterent, Catholicorum sacris sese immiscerent, LEO Pontifex plebem monet *Sermone XLI. Cap. V. f. 106.* edit. Quenellianae, nefarios haereticos eo indicio, tanquam sorices prodi, et agnosci, quod spreto poculo Eucharistico *sanguinem redemptionis nostrae haurire omnino declinarent.* Hoc igitur tempore nota Manichaei erat, poculum Eucharisticum recusare. Sub quinti seculi finem GELASIVS Papa iisdem Manichaeis, Romae latentibus, larvam detracturus, morem in Ecclesia ab ipsis ejus primordiis receptum, decreto confirmavit, ne quis in collectis sacris nisi sub utraque specie communicaret. Detectos eo indicio Manichaeos damnavit, et urbe expulit. Confer GVIL. CAVEI *Hist. Lit. ad A. CCCCXCII.* sub voce GELASIVS *f. m. 298.* Sic GREGORIVS TVRONENSIS in libro de *Gloria Confessorum* Cap. LXV. narrat, Subdiaconum nequam vinum bonum reservasse gulae, et acetum vehementissimum obtulisse in calice. Celebratis Missis accessisse mulierem ad poculum salutare, *quae tam fervens acetum ex calice hausit, ut putaret sibi dentes excuti.* Haec GREGORII verba JO. MABILLONIVS in *Liturgia Gallicana L. I. Cap. VI. p. 59.* recitavit, submonuitque lectores: *En communio etiam sub altera specie!* In Missali Gothico-Gallicano, quod a Cardinale THOMASIO et JO. MABILLONIO, editum habemus, in ordine Missae in Natali Domini celebrandae post Communionem haec exstat precandi formula: *Cibo coelesti saginati, et POCVLO aeterni calicis recreati, Fratres carissimi, Domino DEO nostro laudes et gratias indesinenter agamus,* apud MABILLONIVM *Lib. III. Lit. Gallic. p. 193. et p. 190. in Vigilia Natalis Domini.* Idem MABILLONIVS pro suo candore *Commentario praevio* in Ordinem Romanum, quem *T. II. Musei Italici* praemisit *p. 61.* docuit, commu-

mu-

munionem ſub utraque ſpecie uſque ad XII. poſt Chriſtum natum ſeculum, et ultra, uſitatam in Eccleſia fuiſſe. Semper et ubique ab Eccleſiae primordiis usque ad ſeculum XII. omnes fideles, Clericos et laicos, viros et mulieres, ſub ſpecie vini et panis communicaſſe JO. BONA, Princeps R. E. purpuratus, *L. II. Rerum Liturgicarum Cap. XVIII. p. 365.* Op. confeſſus eſt. Suffragantur NAT. ALEXANDER in H. E. aliique cordatiores. Conſtantem hunc veteris Eccleſiae morem, a Chriſti inſtitutione repetendum, Chriſtiani orientales ad hunc usque diem retinuerunt, apud quos populus, oſtenſo calice, ad communionem invitatur, ut ex libris eorum Liturgicis clare apparet. Conferatur EVSEB. RENAVDOTII *Collectio Liturg. Orient. T I. p. 24. & T. II. p. 42.* Habeſſini illi conſuetudini de S. Euchariſtia, ſub utraque ſpecie populo diſtribuenda, hodienum tam tenaciter adhaerent, ut Jeſuitas ex univerſo ſuo regno, ubi tutam fixamque ſedem tenere ſibi videbantur, non aliam ob cauſam expulerint, quam propter calicem populo ſubtractum, ut apparet ex literis inter ALPHONSVM MENDEZ, Patriarcham in Habeſſinia Papali auctoritate conſtitutum, et inter BASILIDEM, Habeſſiniae Regem, commutatis, quas a BALTHASARE TELLEZ, Luſitanice editas, JOBVS LVDOLPHVS Latinas exhibet in *Commentario ad Hiſt. Aethiopicam f. 532.* A vetuſtiſſimo hocce S. Euchariſtiam integre diſtribuendi more, ab ipſo Chriſto inſtituto, turpiter defecit Eccleſia Romana, ſancivitque in Concilio Conſtantienſi, quod, licet Chriſtus hoc venerabile ſacramentum ſub utraque ſpecie panis et vini inſtituerit, eundemque adminiſtrandi modum Eccleſia primitiva retinuerit, TAMEN HOC NON OBSTANTE ſub ſpecie panis tantummodo a Laicis ſuſcipiendum, et oppoſitum pertinaciter aſſerentes, tanquam haereticos, arcendos, graviterque puniendos eſſe, apud JO. HARDVINVM *T. VIII. Concil. f. 381.* Quam turpiſſimam *ποτηριοκλεψίαν* Synodi Tridentinae Patres Seſſ. XXI. ſub anathematis fulmine apud eundem HARDVINVM *T. X. Concil. f. 121.* ita confirmarunt, ut de calicis

ſacri

sacri restitutione ab Imperatoribus Regibusque aliquoties anxie quaesita, nunc omnis spes decollavit.

§. VIII.

In papatu celebratio missarum solitariarum et privatarum frequentissima est, nec exiguam facit quaestus Pontificii partem. In ea sacerdos formulas Liturgicas demurmurans et corpus ac sanguinem Christi ut sacrificium Missaticum offerens, nemini sacramentum dispensat, sed solus illud sumit, sive, ut Concilii Tridentini Patres loquuntur, *solus sacerdos sacramentaliter communicat.* Reliqui, qui adsistunt, agunt tantum spectatores. Olim autem non erat sic. Missae sine communicantibus nusquam leguntur factae. Nec Christus cum sacramentum hoc instituit, solus illud sumsit, nec ita instituit, ut ille, qui benedicit, solus vesceretur, reliquis tantum spectantibus, sed ut iis, qui adsunt distribuatur, et sumatur, quemadmodum in prima Coena et in Ecclesia antiqua fieri consuevit. Rem confirmant Liturgiae et plurima veterum loca. Ad verba CYPRIANI, quae libro de *Oratione Dominica* sub initium *f. 140.* exstant: *Quando in unum cum fratribus convenimus, et sacrificia divina cum DEI sacerdote celebramus, verecundiae et disciplinae memores esse debemus,* IO. FELLVS in novissima editione Oxoniensi hanc observationem in Notis adscripserat: *Ignota erat olim unius solitarii sacerdotis communio.* Etsi JO. MABILLONIVS loco antea citato de *Liturgia Gallicana p. 58.* negat, id ex verbo *celebrandi* evinci posse, rem ipsam tamen non inficiatur, sed concedit, missas solitarias in prisca Ecclesia non usitatas, sed injuria temporum demum subintroductas esse. Res tam certa est, ut non opus sit multis et validis argumentis eam suffulcire. Ipsa S. Eucharistiae nomina id evincunt. Vocabatur *Fractio panis,* σύναξις et κοινωνία sive communio, certo indicio, in coetu fidelium publico administrari et praesentibus distribui debere. Ita appellavit Apostolus 1. Cor. X, 17. *quia omnes ex uno pane participamus.* Inde recte colligebat JO. CHRYSOSTOMVS ad h. l. τὸ δεῖπνον κυριακὸν debere esse κοινὸν *commune,* et oportere illud κοινῇ

πᾶσι προτιθέναι, *communiter omnibus proponere* et distribuere. Quod olim, fervente populi devotione, quotidie fiebat. *Eucharistiam quotidie ad cibum salutis accipimus*, ait CYPRIANVS l. c. *f.* 147. Haec consuetudo, quam JO. FELLVS, peridoneus Carthaginiensis Antistitis elucidator, Notis illustrat, durayit usque ad AMBROSII, HIERONYMI et D. AVGVSTINI aetatem, ut apparet ex Epist. HIERONYMI ad LVCAM BAETICVM, et APOLOGIA ad PAMMACHIVM, ex AMBROSIO *Cap. ult. L. IV. et V. Sacrament.* et AVGVST. Epist. *118.* et *Canone IX. Apost.* Porro *Can. II. Concilii Antioch.* decretum exstat, *πάντας τοὺς εἰσιόντας πιστοὺς καὶ τῶν γραφῶν ἀκούοντας, μὴ παραμένοντας δὲ τῇ προσευχῇ καὶ τῇ ἁγίᾳ μεταλήψει, ὡς ἀταξίας ἐμποιοῦντας τῇ ἐκκλησίᾳ ἀφορίζεσθαι χρή.* Legantur in hunc canonem pererudita Scholia EMANVELIS a SCHELSTRATE *p. 169.* inprimis Cap. VII. quod agit de frequenti fidelium communione. Refrigescente paullatim Christianorum ardore, et sacri illius epuli desiderio propter occupationes populi sacrae *συνάξεις* nonnisi diebus Dominicis et solemnioribus festis celebrabantur. Interea tamen clerici et religiosi quotidie conveniebant, et communionem celebrabant. Ab eo tempore invaluit distinctio Missarum publicarum et privatarum, quas GREGORIVS vocat *peculiares*, ODO Cameracensis *solitarias*. Vid. Vir Celeb. JO. ANDR. SCHMIDIVS *in Dissert. de Missa Sicca p. 13.* Cum vero ne quotidiana quidem clericorum et religiosorum communio amplius frequentaretur, sacerdotes tamen quotidie, more antiquo, aras instruebant, et quando communicantes non aderant, preces, lectiones et ceteros ritus, ad Synaxin pertinentes, excepta consecratione, et communicatione, celebrabant. Quem morem Alexandrinam Ecclesiam tenuisse multi putant, ad SOCRATIS testimonium provocantes *H. E. L. V. Cap. XXII. f. 287.* Ejusmodi Missam Latini sequioris aetatis appellabant *siccam*. Gerebat *Missae* nomen istiusmodi ritus, quia pleraeque Missae partes in ea occurrebant. *Sicca* appellabatur, quia fiebat sine symbolorum consecratione et distributione. Ne

vero

vero sacerdotes, si soli eam tantum missam celebrarent, populi oblationibus et munusculis fraudarentur, alicubi non tantum coeperunt communicare soli, sed et praedicare utilitates ex solitaria illa sacerdotis actione ad illos etiam, qui non communicarent, redundatura, modo oblationes afferrent. Lapsu temporis abusus cum aliis corruptelis ita crevit, ut tandem S. Eucharistiae sacramentum in sacrificium Missaticum et propitiatorium pro peccatis, et applicatorium omnium meritorum Christi ac impetratorium omnium, quae a DEO postulamus, mutatum, existimatumque sit, homines ex opere, ut ajunt, operato privatae missae sacerdotis, ea omnia, quin et plura, ac praestantiora bona consequi posse, quam ipse S. coenae usus polliceretur. Sed olim S. Eucharistia non nisi praesente, et communicante populo, consecrabatur. Formulae Romanae Ecclesiae Liturgicae luculenta illius rei vestigia hodienum ostendunt. Nam sacerdotes Romani recitantes canonem missalem orant: *Fiat haec corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi NOBIS SVMENTIBVS salus mentis et corporis. Quod ore SVMPSIMVS, Domine, pura mente capiamus.* Sed quomodo antiqua haec formula Liturgica, quae praesentiam supponit populi communicaturi, convenit Missae, in qua solus sacerdos epulo sacro vescitur? Has ob caussas Conciliorum Nannetensis et Papiensis Patres missas ejuscemodi solitarias prorsus improbarunt, quorum Decreta in Conciliorum Tomis omissa recitat GEORG. GASSANDER in *Consultatione* de Articulis Religionis inter Catholicos et Protestantes controversis, Tit. de *Solitariis Missis p. 215.* Hujus missae novitatem praeter MORNAEVM, ALBERTINVM, DALLAEVM, LARROQVIVM, BASNAGIVM aliosque Reformatae Ecclesiae scriptores ex nostris monstrarunt M. CHEMNITIVS *in Exam. C. T.* GEORG. CALIXTVS peculiari Exercitatione, J. A. SCHMIDIVS l. c. et HEILBRVNNERVS *in Papatu Acatholico Art. VIII.* Satis igitur apparet, quantopere defecerint Synodi Tridentinae Patres, quando eam corruptelam et missarum nundinationem defensuri Can. VIII. sancive-

 runt:

runt: *Si quis dixerit, Missas, in quibus sacerdos sacramentaliter communicat, illicitas esse, ideoque abrogandas anathema sit.*

§. IX.

Ex libris veterum liturgicis et testimoniis Patrum abunde constat, in S. Eucharistiae consecratione usurpatam olim fuisse orationem, qua sacerdos spiritum S. invocabat, ut super dona in mensa sacra proposita descenderet, et panem corpus, vinum vero sanguinem Christi faceret. Haec precandi formula et consuetudo, quam Graeci ἐπίκλησιν vocant, et hodienum usurpant, non est recentiorum Graecorum inventum, aut *pessimus et detestandus error* ac haeresis, quemadmodum Cardinalis BONA *L. II. Rerum Liturg. Cap. XIII. p. m. 568. Op.* putavit, sed ex antiquissimo Graecae Latinaeque Ecclesiae usu repeti debet, fatente EVSEB. RENAVDOTIO *T. I. Collect. Liturg. Orient. p. 246.* In CONSTIT. APOST. quarum collectio ad initium seculi quarti non immerito refertur, *L. VIII. Cap. XII. f. 403.* sacerdos S. Eucharistiam administraturus precatur: προσφέρομεν σοι τῷ βασιλεῖ τῷ Θεῷ κατὰ τὴν αὐτοῦ διάταξιν τὸν ἄρτον τοῦτον καὶ τὸ ποτήριον τοῦτο, *gratias tibi per Christum agentes, quia nos dignos habuisti, qui staremus coram te, ac sacerdotio fungeremur tibi,* καὶ ἀξιοῦμέν σε, ὅπως εὐμενῶς ἐπιβλέψης ἐπὶ τὰ προκείμενα δῶρα ταῦτα ἐνώπιόν σου - καὶ καταπέμψης τὸ ἅγιόν σου πνεῦμα ἐπὶ τὴν θυσίαν ταύτην τὸν μάρτυρα τῶν παθημάτων τοῦ κυρίου Ἰησοῦ, καὶ τὸ ποτήριον τοῦτο αἷμα τοῦ χριστοῦ σου, *ac rogamus te, ut super haec dona in conspectu tuo proposita placate respicias, atque supra sacrificium hoc MITTAS SANCTVM TVVM SPIRITVM testem passionum Domini Iesu, ut exhibeat panem hunc corpus Christi tui, et calicem hunc sanguinem Christi tui.* Praemittebant veteres in Sacramenti Eucharistici consecratione verba institutionis, deinceps sequebatur ἐπίκλησις, seu invocatio spiritus S. ut sua ἐπιφοιτήσει et παρουσίᾳ panem et vinum mutaret in corpus et sanguinem Christi, certo argumento et indicio, veteris Ecclesiae Doctores existimasse, consecrationem verbis institutio-

tutio-

tutionis nondum fuisse absolutam, sed Spiritus S. demum adventu et sanctificatione symbolorum peragendam esse. Hinc ORIGENES *T. XI. Comment. in Matth. f. 253.* Eucharistiam vocat τὸ ἁγιαζόμενον διὰ λόγου Θεοῦ καὶ ἐντεύξεως, et *f.* 254. τὸν ἁγιασθέντα λόγῳ Θεοῦ καὶ ἐντεύξει ἄρτον. P. D. HVETIVS eam ἔντευξιν male ad Ecclesiae Romanae opinionem detorquere, et de recitatione verborum institutionis Dominicae explicare voluit *Origenianorum L. II. Quest. XIV.* §. *11. f. 177.* Repugnat enim propria vocis ἐντεύξεως significatio, quae praecationem, nequaquam autem mysticorum istorum verborum recitationem notat. Ipse ORIGENES *L. VIII. adversus Celsum p. 386.* τὰς ἐντεύξεις in S. Eucharistiae consecratione factas exponit per εὐχὰς καὶ τὰς Θυσίας. Nemo veterum S. Eucharistiae consecrationem per ἐπίκλησιν olim factam, dilucidius exposuit quam CYRILLVS HIEROS. *Catech. Mystag. I.* §. *IV. f. 281.* Edit. Oxon. ὁ ἄρτος καὶ ὁ οἶνος τῆς εὐχαριστίας πρὸ τῆς ἁγίας ἐπικλήσεως τῆς προσκυνητῆς τριάδος ἄρτος ἦν καὶ οἶνος λιτὸς ἐπικλήσεως δὲ γενομένης ὁ μὲν ἄρτος γίνεται σῶμα Χριστοῦ, ὁ δὲ οἶνος αἷμα Χριστοῦ. Idem repetitur *Mystag. Catech. V.* §. *V. f. 297.* ubi tota recensetur Liturgia Ecclesiae Hierosolymitanae. Eandem ἐπίκλησιν habent reliquae Liturgiae tam antiquiores, quam recentiores Graecae, et Orientales propemodum omnes, ut observavit RICHARD. SIMON *in Notis Vberioribus ad Apologiam* GABRIELIS SEVERI *p. 143. & seq.* De Copticis et Syriacis idem fatetur EVSEB. RENAVDOTIVS. Eandem ἐπίκλησιν habet Aethiopum Liturgia Romae evulgata, nec non duae Liturgiae Aethiopicae à WANSLEBIO editae, quarum una Patribus Nicaenis, altera DIOSCORO, Patriarchae Alexandrino inscripta, ex vetusto EDVARDI POCOKII codice prostat. Eundem ritum Ecclesia Africana olim probavit et usurpavit. OPTATVS MILEVITANVS Parmeniano atrocitatem sceleris, quo Donatistae se obstrinxerant ostensurus, scribit, *Altaria DEI* ab illis fracta, *ubi Deus omnipotens invocatus sit, QVO POSTVLATVS DESCENDIT SPIRITVS S. Lib. VI. de Schismate*

Donat. sub initium *f. 90. Edit. du Pin.* Quin et ex Missis Latinis constat, in multis Occidentis Ecclesiis Consecrationem Sacramenti olim per invocationem Spiritus S. factam esse. Ita in Missali Gallicano seu Gothico legitur oratio, teste JO. MABILLONIO *L. I. Liturgiae Gallicanae Cap. V. p. 43.* omnibus Missis communis: *Veni Sanctificator omnipotens, aeterne Deus, et benedic hoc sacrificium tuo nomini praeparatum per Christum Dominum nostrum.* Sic in Missa, quam primus edidit FLACIVS ILLYRICVS, et quam Cardinalis BONA exhibet, sacerdos orat: *Descendat etiam, Domine, illa sancti Spiritus incomprehensibilis invisibilisque majestas, sicut quondam in Patrum hostias descendebat.* Ita in Missali Gothico-Gallicano, quod apud Gallos, Gothorum imperio subjectos, olim in usu fuit, et quidem in Missa S. Leudegarii, Antistitis Augustodunensis et Martyris apud JO. MABILLONIVM *l. c. p. 285. Concede nobis, ut descendat hic benedictio tua super hunc panem et calicem in transformatione Spiritus tui S. uti haec benedicendo benedicas, sanctificando sanctifices.* In Missali Francorum *l. c. p. 323.* super oblata: *Munera, domine, tibi dicata, quaesumus, sanctifica, et per eadem nos placatus intende.* Ejusdem argumenti est Collectio in Missa S. Mauricii post *Sanctus* dicta apud eundem MABILLONIVM *l. c. p. 283.* Missale Gallicanum vetus, in quo ordo sacrorum ex Romano et Gallicano mistus exhibetur, apud eundem in Missa S. GERMANI *p. 331.* ita habet: *Descendat precamur, omnipotens Deus, super haec, quae tibi offerimus, Verbum tuum sanctum, descendat inaestimabilis gloriae tuae Spiritus, ut fiat oblatio nostra hostia.* In Missali Gothico *l. c. p. 251.* in vigiliis Paschatos: *Has hostias spiritales et sincera libamina, ut libens exaudias deprecamur. Te oramus, uti hoc sacrificium tua benedictione benedicas, et SPIRITVS S. tui RORE perfundas, ut sit omnibus legitima Eucharistia per Christum Dominum nostrum.* Eadem ἐπίκλησις et oratio et in hoc Gallicano et in Gothico et in Mozarabico Missali saepius occurrit, recteque ac opportune notavit Card. BONA *Lib. II. Rerum Liturg. Cap. XIII. § V. p. 569. Op-*

ritum

ritum Mozarabicum, quo omnes Hispaniae et Galliarum Ecclesiae olim utebantur, veteremque Gallicanum hac Spiritus S. invocatione convenire cum Graeco. In Missa Ambrosiana, tam antiquiore quam recentiore, hoc sacramentum dicitur per infusionem Spiritus S. fieri corpus Jesu Christi. In Missali Gothico apud MABILLONIVM *p. 214.* Missa in Adsumptione S. Mariae: *Descendat, Domine, in his sacrificiis tuae benedictionis coaeternus et cooperator Paracletus Spiritus, ut oblationem, quam tibi de tua terra fructificante porreximus, te sanctificante sumamus.* Plura ex vetustis libris Liturgicis testimonia poterant excerpi, si necessarium aut utile esset. Legi interea possunt EDM. MARTENE de *Antiquis Ecclesiae Ritibus P. I. L. I. Cap. IV. Art. 7. §. 6. p. 393.* et Vir Cel. CHRIST. MATTH. PFAFFIVS in Diss. *de Consecrat. vet. Eucharist. §. VI.*

§. X.

Perantiquus vero iste S. Eucharistiae per Spiritus S. invocationem consecrandae ritus, in Ecclesia etiam Occidentali olim receptus et usitatus, processu temporis ita abrogatus est, ut in hodiernae Ecclesiae Romanae Missalibus nullum ejus vestigium amplius reperiatur. Quod non exiguum est specimen variationis circa ipsam Sacramenti essentiam et formam factae ab Ecclesia Romana, quae hodie docet, non preces, sed sola Servatoris verba a Sacerdote, cum intentione consecrandi prolata, corpus Christi conficere. Qua in re recentiores Romanae Ecclesiae Doctores palam desciverunt a communi, constantissimaque sententia et consuetudine Ecclesiae antiquae tam Graecae quam Latinae. Ex libris quippe Liturgicis perinde ac dilucidis testimoniis Patrum ab EDM. ALBERTINO *L. I. de Sacramento Euch. Cap. VI. et VII.* collectis, et inter se collatis, praeeunte nobis eodem ALBERTINO *l. c. f. 30.* patet, veteres Eucharistiae consecrationem ad tria retulisse, *primo* videlicet ad virtutem Christi et Spiritus S. *secundo* ad preces, gratiarum actiones et benedictiones. *Tertio* ad verba: *Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus.* Ad virtutem Christi et spiritus

tus S. tanquam ad causam principalem et proprie efficientem. Ad preces, gratiarum actiones et benedictiones, tanquam ad conditionem imperatam et impetrantem, causamque instrumentaliter operantem. Ad verba denique: *Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus*, tanquam ad verba promissiva, ut a Domino primum prolata sunt, et declarativa. BELLARMINVS e contrario *Tom. II. L. I. Cap. 27. de Missa f. 1062.* ita pronunciat: Vi verborum, *hoc est corpus meum*, solum Christi corpus sine anima et sanguine incipit esse in altari; et vi aliorum verborum: *Hic est sanguis meus*, incipit solus sanguis, et seorsim à corpore esse in altari. Et ibidem *p. 1064.* sic pergit: *Nihil autem facit sacerdos tam perspicue in persona Christi, quam consecrationem, in qua dicit:* Hoc est corpus meum. Consentit BOSSVETVS *in Expositione Doctrinae Ecclesiae Catholicae Artic. XIV.* Nos equidem illam Spiritus S. ἐπιφοίτησιν neque ad symbolorum consecrationem necessariam, nec exorandam, nec Graecorum Liturgiam ea in parte defendendam, aut imitandam esse arbitramur. Interea tamen nobis sufficit illustri exemplo ostendisse, Romanam Ecclesiam hodiernam, sola verborum institutionis recitatione consecrantem, a veteri Ecclesia manifestam fecisse secessionem.

§. XI.

Insigniter variavit Ecclesia Romana, quando novum doctrinae genus sub dirarum denunciatione invexit et pronunciavit, ipsum corpus et sanguinem Christi in S. Eucharistiæ celebratione DEO Patri a sacerdotibus offerri. Pro hac opinione non solum BELLARMINVS tanquam pro aris et focis pugnavit, sed idem etiam faciunt recentiores Romanorum placitorum propugnatores, singulatim BOSSVETVS *in Expositione Doctrinae Artic. XIV. p. 68. Nous n'avons rien à offrir à Dieu, que Jesus Christ, & le merite infini de sa mort.* Sequuntur Concilii Tridentini Canonem II. de sacrificio Missae Sess. XXII. hunc in modum conceptum: *Si quis dixerit illis verbis:* Hoc facite in meam commemorationem, *Christum non instituisse Apostolos sacerdo-*

cerdotes, aut non ordinasse, ut ipsi aliique sacerdotes OFFERRENT CORPVS ET SANGVINEM SVVM, Anathema sit. Hoc canone damnatur sententia veteris Ecclesiae in libris Liturgicis et Doctorum monumentis passim prodita memoriae, et tam dilucide exposita, ut dubitari non possit, quin panis duntaxat vinumque in commemorationem et repraesentationem sacrificii Christi in cruce peracti olim fuerit oblatum. Ita Divus AVGVSVINVS Libro *de Diversis Quaestionibus Octoginta tribus Qu. LXII. f. 25.* T. VI. edit. Benedict. *Christus sacerdos noster in aeternum secundum ordinem Melchisedech se ipsum obtulit holocaustum pro peccatis nostris, et ejus sacrificii SIMILITVDINEM celebrandam in suae passionis memoriam commendavit, ut illud quod Melchisedech obtulit DEO per totum orbem terrarum in Christi Ecclesia videamus offerri.* S. AVGVSTINVS igitur opinatus est, Christum in imagine tantum immolari, et offerri in S. coena, eo modo, quo resurgere dicitur in Paschate, quando imago resurrectionis ipsius et commemoratio intellectui nostro repraesentatur, ut idem Hipponensis Praesul ait *Epist. XCVIII. edit. Benedict. f. 202. E.* Et quemadmodum Melchisedech non corpus et sanguinem Christi, sed panem tantum et vinum obtulit, ita ex sententia D. AVGVSTINI in S. Eucharistia non nisi panis et vinum censentur offerenda. Canone Apostolorum III. sancitur, in altari ab Episcopo vel Presbytero nihil offerendum esse, quam panem et vinum. JVSTINVS MARTYR in *Dialogo* cum Tryphone *f. 260.* non aliam agnovit προσφορὰν θυσιῶν, sive oblationem sacrificiorum N. T. in Eucharistiae Sacramento, quam τοῦ ἄρτου, καὶ τοῦ ποτηρίου, *panis et poculi,* quae dona cum gratiarum actione et prece DEO consecranda censet. Non alia quippe JVSTINVS N. T. agnovit sacrificia, quam laudes divinas, preces, gratiarum actiones, ac panem vinumque Eucharisticum, mensae sacrae impositum, precibusque DEO oblatum, et in sacramentum corporis sanguinisque Dominici consecrandum. Hanc ob caussam ibidem *f. 346.* sacrificia sanguinis et libaminum proprie dicta accurate distinguit ab ἀληθινοῖς καὶ πνευματικοῖς αἴνοις

καὶ εὐχαριςίαις. Eadem fuit ſententia IRENAEI, ATHENAGORAE, CORNELII, Antiſtitis Romani, CLEMENTIS ALEX. ORIGENIS aliorumque veteris Eccleſiae Doctorum, qui non alia quam ſpiritualia N. T. ſacrificia poenitentiam videlicet, preces, hymnos, laudes, eleemoſynas, virtutes Chriſtianas, ac cultum imprimis internum animi, agnoverunt, nec aliam προσφορὰν in S. Euchariſtia intellexerunt, quam panis et vini atque ſacrificiorum ſpiritualium oblationem. Nec aliud quid exſculpi poteſt ex CONSTITVTIONIBVS APOSTOLICIS, ad quarum auctoritatem Pontificii, Miſſae ſacrificium proprie dictum defenſuri, frequenter provocare ſolent Lib. II. Cap. XXVII. fratres τὰς θυσίας ἤτοι προσφορὰς τῷ ἐπισκόπῳ προσφέρειν jubentur. Sed quis noſtrum unquam negavit, dona conſecrata in primitiva Eccleſia Epiſcopo a laicis oblata, propter iſtum offerendi ritum figurate appellata fuiſſe προσφορὰς et θυσίας, cum praeſertim Antiſtes et ſacerdos dona illa a plebe oblata precibus conſecraret, et Deo quaſi offerret ſanctificanda in ſalutarem communicantium uſum. In Liturgiis antiquiſſimis et Patrum trium priorum ſeculorum monimentis nusquam dicitur, Chriſtum in Miſſa incruente immolari, aut corpus ejus ſanguinemque DEO Patri προσφέρεσθαι *offerri*. Contra autem τὰ δῶρα τὰ προκείμενα, *dona in menſa propoſita*, et ad ſacrum epulum celebrandum deſtinata, panem nimirum et vinum aqua mixtum, Deo ſolebant offerri, ut ea τῇ ἐπιφοιτήσει τοῦ πνεύματος ἁγίου ſanctificaret, faceretque corpus et ſanguinem Chriſti. Neque aliud quidquam quam externa ſymbola intelliguntur in Liturgia JACOBI, quando ſacerdos orat: Προσφέρομέν σοι, δέσποτα, τὴν φοβερὰν ταύτην καὶ ἀναίμακτον θυσίαν, hoc eſt, τὰ σὰ ἐκ τῶν σῶν δωρεῶν, ut aliae Liturgiae exponunt, dona in altari propoſita, panem videlicet et vinum. Res liquida eſt ex Liturgia PETRO vulgo adſcripta: Προσφέρομεν ἐκ τῶν σῶν, δωρεῶν καὶ χαρισμάτων θυσίαν καθαρὰν, θυσίαν ἁγίαν, θυσίαν ἄμωμον, ἄρτον ἅγιον ζωῆς αἰωνίου, καὶ ποτήριον σωτηρίας ἀεννάου. Conſentiunt formulae Liturgicae BASILIO et CYRILLO ALEX. adſcriptae, aliaeque ac

ipſae

ipsae Orientales, e Graecis versae, et ab EVSEB. RENAVDOTIO nuper collectae Latineque ex Syriaco et Coptico sermone de novo conuersae ac notis illustratae. Coptitae non nisi panem vinumque offerunt, quae *dona, munera* et *oblatio* dicuntur, servato in ipsa Liturgia Coptica sive Aegyptiaca, Graecarum vocum δώρων et προσφορᾶς usu, fatente RENAVDOTIO *T. I. Collect. p. 189.* In Liturgia S. GREGORII Alexandrina apud eundem *T. I. p. 103.* precatur sacerdos: προσφέρω σοι τὰ σύμβολα, et *p. 105.* post consecrationem orat: τὰ σὰ ἐκ τῶν σῶν δώρων σοι προσφέρομεν. Quae verba etiam exstant in Liturgia S. BASILII Alexandrina *l. c. p. 68.* et *p. 40.* in Liturgia S. CYRILLI ante recitata Institutionis verba precatur sacerdos: *Offerimus tibi hoc sacrificium rationabile et hoc ministerium incruentum, quod offerunt tibi omnes populi ab ortu Solis usque ad occasum, hoc est*, panem et vinum Eucharisticum. Consentiunt Libri Latinarum Ecclesiarum Liturgici non pauci. In Missa S. Johannis Baptistae, quae in Missali Gothico-Gallicano exstat apud MABILLONIVM *de Liturgia Gall. p. 275.* orat sacerdos: *Munera populi tui omnipotens Deus, quae tibi deferimus, quaesumus propitiatus intende, ut perfecti hujus sacrificii sanctificatione purgati, nostrorum a te mereamur consequi veniam delictorum.* In plerisque Missalibus, maxime Francorum, oratur, ut dona oblata benedictione divina sanctificentur: *Hanc oblationem* panis videlicet et vini, donorum consecrandorum, *tu Deus in omnibus quaesumus benedictam, adscriptam, ratam, rationabilem, acceptabilemque facere dignare: Quae nobis corpus et sanguis fiat dilectissimi Filii tui*, ap. MABILLON. *l. c. p. 327.* In Missali Francorum apud eundem *p. 322.* super oblata haec recitatur oratio: *Propitiare Domine supplicationibus nostris, et has oblationes famulorum famularumque tuarum benignus adsume: ut quod singuli obtulerunt ad honorem nominis tui, cunctis proficiat ad salutem.* Paullo ante *p. 321.* preces et munera dicuntur offerri, quae *p. 318. sacrificium* appellantur et *hostiae* sacris altaribus superpositae. Ibidem Missa XXVIII. in Coena

na Domini *p. 237. Salutiferam Dominicae immolationis effigiem in ſacrificio ſpirituali fideles dicuntur celebrare, immaculatas ſacris altaribus hoſtias offerentes* i. e. panem et vinum, *et omnipotentem Deum per unigenitum Filium ſuum Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum deprecantes, qui haec in ſacri corporis et ſanguinis ſui oblatione benedicere et ſanctificare dignatus eſt.* Ibid. *p. 249. & 250.* oratur pro his, qui offerunt *munera Deo noſtro ſacroſancta ſpiritualia pro ſe et pro caris ſuis,* Miſſa XXXVI. in Vigiliis S. Paſchae. *P. 253.* ibid. *Suſcipe Domine hoſtiam placationis et laudis et has oblationes famulorum famularumque tuarum, quas tibi offerimus, placatus adſume.* Non obſtantibus hisce veteris et orthodoxae Eccleſiae teſtimoniis, BELLARMINVS, patronus ille doctrinae Tridentinae acerrimus, cum Eccleſia ſua ſtrenue contendit, non ſolum oblationem panis et vini, ſed vel maxime etiam immolationem et oblationem corporis ac ſanguinis Jeſu Chriſti fieri Deo in S. Euchariſtia. Ita enim *L. I. Cap. XXVII. de Miſſa p. 1058.* propoſitione prima aſſerit: *Negari non debet, panem et vinum aliquo modo in Miſſa offerri, et proinde pertinere ad rem, quae ſacrificatur:* propoſitione ſecunda autem, *Corpus et ſanguis Domini,* inquit, *ſunt id ſacrificium, quod in miſſa proprie offertur et ſacrificatur.* Sed quam falſa illa omnia ſint, vel inde patet, quoniam neque Chriſtus in verbis Inſtitut. neque Paulus, Vir θεόπνευςος, in repetitione eorundem, oblationem et ſacrificium corporis et ſanguinis Chriſti, quod Deo perpetuo in Eccleſia Chriſti fieri debeat, repetendum commemoret, quanquam falſiſſime provocat BELLARMINVS ad verba Inſtitut: Hoc facite *l. c. p. 1056.* ubi ſimul dicit: nusquam legimus, Chriſtum dixiſſe: *non offerte;* quodſi legeremus, tum vere pugnaret cum inſtituto Chriſti ſacrificium Miſſae. Sed firmius concludere poſſumus, quoniam Chriſtus non dixit: offerte Deo in S. Euchariſtia corpus et ſanguinem meum, E. peccant ii, qui hoc faciunt mandato divino deſtituti. Quemadmodum enim verbis Inſtitut. nihil detrahendum, ita nihil addendum eſſe omnino exiſtimamus. Et quam-

quamvis nonnulli ſequioris aetatis Patres inde a ſeculo quarto poſt Chriſtum natum, dixerint, in S. Euchariſtia offerri ipſum corpus et ſanguinem Domini, ſciendum tamen, eos figurate et metonymice locutos eſſe, et primae antiquitatis, ac Chriſti, et Apoſtolorum conſenſu deſtitui, quorum nos rectius ſequimur auctoritatem, quam ſequiorum auctorum ἀκυρολογίας, monente et inculcante CYPRIANO, ſanctisſimo Martyre, hac in re nonniſi Chriſtum audiendum et ſequendum eſſe, nec debere nos attendere, quid alius ante nos faciendum putaverit. Neque enim hominis conſuetudinem ſequi oportere, ſed Dei veritatem, *Epiſtola juxta* PAMELIVM et JO. OXON. *LXIII. f. 154.* Veteres autem per corporis et ſanguinis Chriſti oblationem figurate intellexiſſe panem et vinum, dilucide apparet ex *Codice Canonum Eccleſiae Africanae Can. XXXVII.* apud HARDVINVM *T. I. Concil. f. 883.* ubi praecipitur, ut in Sacramentis μηδὲν πλέον τοῦ σώματος καὶ τοῦ αἵματος τοῦ κυρίου προσενέχθη, *nihil amplius offeratur, quam corpus et ſanguis Domini, ſicut ipſe Dominus tradidit,* τοῦτ' ἔστιν, ἄρτου καὶ οἴνου, ὕδατι μεμιγμένου, *hoc eſt, panis et vinum aqua mixtum,* nequaquam autem lac, mel et primitias. Afri igitur panem et vinum appellant corpus et ſanguinem Chriſti, non quod revera erant, ſed quod in uſu fieri debebant.

§. XII.

Quando igitur Synodi Tridentinae Patres docent, in Miſſa verum ſacrificium offerri, et Chriſtum per ſacerdotes ſub ſignis viſibilibus toties incruente et vere immolari ac mactari, quoties officium miſſae celebretur, Eccleſia Romana ſequioris aetatis deteſtabilis hujus erroris adoptione palam declaravit, ſe a priſca Apoſtolica ſimplicitate et ab antiquae Eccleſiae puritate deſciviſſe. Docent quippe Apoſtoli, Servatorem ſacrificio crucis plenam perfectamque propitiationem et veniam peccatorum nobis promeruiſſe, et ſacrificium illud unicum eſſe ac nunquam repetendum Ebr. IX. 12. 14. X. 10. quia μιᾷ προσφορᾷ τετελείωκεν εἰς τὸ διηνεκὲς τοὺς ἁγιαζομένους. Adquiſita igitur per Chriſtum conſummatiſſima

expiatione, ἐφάπαξ *semel* facta, nulla amplius necessaria est προσφορὰ περὶ ἁμαρτίας, nec in S. literis usquam promissa aut instituta est oblatio alia pro peccatis proprie dicta. Quam ἀδύνατον est, Christum denuo pati et mori, tam ἀδύνατον etiam est, ut sese amplius offerat. Offerre quippe se non potest, nisi simul patiatur et occidatur. Falsum igitur est, sacrificium crucis sacrificio Missae continuari et renovari. Christi oblatio in cruce facta, secundum Apostolicae doctrinae definitionem, in eo distinguitur ab oblationibus Vet. Test. quod hae debuerint continuari, renovari et repeti. Sed sacrificium Christi repeti et continuari nequit. Rom. VI. 9. 10. 1. Petr. III. 18. Ebr. VII. 26. S. Eucharistiae quidem sacramentum Christus mortem aditurus instituit, sed non apparet, qua ratione sacrificium proprie dictum dici possit? Oblationes Vet. Test. sumi solebant vel a rebus inanimatis, qualia sunt farina, grana, sal, thus, panis et placentae, vel a rebus animatis in honorem Dei mactandis et offerendis. Priora dicebantur מנחות *sacra frumentacea*. In hanc oblationum classem ipsimet Pontificii sacrificium Missaticum referre nolunt. vid. J. B. BOSSVETVS in libello *Explication de quelques difficultés sur les prieres de la Messe* §. *IV. p. 21. Dans la nouvelle alliance on n'offre plus à Dieu des choses inanimées, ni autre chose, que Jesus Christ.* Posteriora dicebantur זבחים *victimae* Deo immolandae, et quadruplicis generis erant, nimirum עולות *holocausta* ab adscendendo ita dicta, quia tota victima, pelle excepta, altari imponebatur cremanda. Vnde Græcis ὁλόκαυστα et ὁλοκαυτώματα dicta. In aliis enim sacrificiis pars dumtaxat arae imposita solebat adoleri. Hic cremabatur totum. שלמים Græcis σωτήρια, εἰρηνικὰ et εὐχαριστικὰ dicta, solebant fieri pro rebus prosperis vel jam impetratis, vel in posterum a Deo impetrandis. Cetera erant hilastica et lustralia, pro peccatis Levitice expiandis, veniaque poenarum, lege dictatarum, impetranda, offerri solita. Qualia erant חטאת *sacrificium pro delicto*, et אשם *sacrificium pro peccato*. S. Eucharistia, ut ipsimet Pontificii haud difficul-

ter

ter largientur, holocaustis adnumerari nequit, quia deest victimae offerendae mactatio et concrematio in altari, sanguinisque fusio et aspersio. Neque sacrificiis Eucharisticis, sed hilasticis et expiatoriis sacrificium Missaticum adnumerant adversarii, statuentes in Synodo Tridentina, illud sacrificium vere propitiatorium esse, incruente tamen immolari. Quale sacrificium ἀναίμακτον seu incruentum, si rem recte aestimamus, nihil aliud est, quam merum σιδηρόξυλον. Nam χωρὶς αἱματεκχυσίας nec expiatio fit peccatorum, nec sacrificium proprie dictum Ebr. IX, 22. Accedit, quod una eademque victima iterum ac saepius offerri prorsus non possit. Hostia, quae hodie immolatur et offertur, antea non fuit mactata oblatave. Sed Tridentini Patres docent Sess. XXII. Cap. 2. unam eandemque esse hostiam olim in cruce immolatam, ac hodienum quotidie immolandam. Solam offerendi rationem esse diversam. At vero Christus S. Eucharistiae sacramentum instituens in ejus usu noluit fieri sacrificium DEO offerendum, aut immolationem sui corporis proprie et vere ita dictam. Nam de hoc altum est silentium in verbis institutionis et in monimentis Apostolorum. Sed suum corpus instituit manducandum in pane, et sanguinem suum bibendum sub vino consecrato, et quidem εἰς ἀνάμνησιν et memoriam veri sacrificii in cruce semel peracti. Ab hoc sacrificio crucis si discedamus, non memoratur ab ullo N. T. scriptore aliud sacrificium proprie dictum. Vbicunque occurrit sacrificii notio, significantur θυσίαι πνευματικαὶ *sacrificia spiritualia* et improprie atque figurate sic dicta, e. g. nostra sanctificatio et cultus Dei cum internus tum externus Rom. XII. 1. 1. Petr. II. 5. 9. Nam ut sacerdotes N. T. sunt spirituales, et improprie sic dicti, sic etiam sacrificia ab illis offerenda. Qualia sacrificia sunt preces Ebr. V. 7. XIII. 13. Apoc. V. 8. VIII. 3. 4. fides Phil. II. 17. eleemosynæ Phil. IV. 18. Ebr. XIII. 16. praedicatio Evangelii et conversio gentium Rom. XV. 16. Martyrium Phil. II. 17. 2. Tim. IV. 6. et hujus generis alia. Ergo nec S. Eucharistia est sacrificium proprie sic dictum, sed

com-

commemoratio ſaltim et repraeſentatio unici illius et conſummatiſſimi ſacrificii in cruce peracti. Res tam certa eſt, ut ante Concilii Tridentini ſanctionem et immutationem in hoc doctrinae capite factam, nemo fere de hac veritate dubitaverit. Iſti certe Doctores Pontificii, qui poſt Auguſt. Confeſſionem Imperatori Carolo V. exhibitam, de concordia cum noſtris ineunda deliberarunt, candide faſſi ſunt, in Miſſa quotidie offerri Chriſtum *myſterialiter et repraeſentative in memoriam ſuae paſſionis et oblationis ſemel in cruce factae. Eſt ergo Miſſa non revera victima, ſed myſterialis et repraeſentativa,* hoc eſt, ſpiritualis et improprie dicta. Eadem haec ſententia paulo poſt in Concilio Colonienſi I. quod Provinciale et auctoritate HERMANNI, ſummi Vbiorum Praeſulis A. C. M. DXXXVI. celebratum fuit, Parte VII. Capit. XXVII. legitur repetita, apud HARDVINVN *T. IX. Concil. f. 2007. Docendus eſt populus, quale ſit miſſae ſacrificium, nempe repraeſentativum, ita ut hoc ipſum repraeſentetur, quod olim factum eſt, facitque oblatio iſta ſacramentalis moneri nos, tanquam videamus praeſentem Dominum in cruce.* In eadem opinione fuerunt Theologi Pontificii in Colloquio Ratisbonae habito A. C. MDXLI. *Chriſtus in Miſſa totius Eccleſiae nomine REPRAESENTATIVO SACRIFICIO DEO PATRI immolatur. Quod certe fit, cum Eccleſia illum ejusque verum corpus et ſanguinem Deo Patri pro totius mundi peccatis PIA PRECE ſiſtit.* Vid. Acta Colloquii a BVCERO Argentorati A. 1542. edita p. 43. Idem ſenſerunt plurimi Scholaſtici, quorum teſtimonia collegit. B. JO. GERHARDVS in *Confeſſione Catholica Libr. II. Part. II. Artic. XV. Cap. I. f. 1202.*

§. XIII.

Nec alio ſenſu veteris Eccleſiae Doctores S. Euchariſtiam appellarunt προσφορὰν, θυσίαν, *oblationem et ſacrificium*, quae denominatio in eorum ſcriptis et libris Liturgicis frequentiſſima eſt. Nil aliud quippe voluerunt indicare, quam in S. Euchariſtia ſacrificium mortis et paſſionis Chriſti exhiberi, nobisque in memoriam revocari. Hoc docet

docet CHRYSOSTOMVS *Homil. XVII. in Epist. ad Hebr. f. m. 846. C.* μία ἐστὶν ἡ θυσία, οὐκ ἄλλην θυσίαν, ἀλλὰ τὴν αὐτὴν ἀεὶ ποιοῦμεν· μᾶλλον δὲ ἀνάμνησιν ἐργαζόμεθα θυσίας. Hunc locum nobis suggessit FORM. CONCORD. *p. 879.* ubi in margine monemur, hunc locum prae ceteris contra propitiatorium Missae sacrificium notandum esse. Eadem habet EVLOGIVS, Archi-Episcopus Alexandrinus, L. II. contra Novatianos, in Bibliotheca PHOTII *Cod. CCLXXX, f. 1609.* et OECVMENIVS *in Cap. X. ad Hebraeos f. 846.* apud SVICERVM *in Thesauro* sub voce θυσίας *f. 1423.* Praeterea isti sacramento in veteri Ecclesia sacrificii et oblationis nomen hac de causa imponebatur, quia in ejus celebratione προσφοραὶ, δῶρα, ἀπαρχαὶ, καρπώματα, δεκάται, ἀκροθίνια, munera et dona, uvae, oleum, vinum, panis, a populo in altari offerenda, et a sacerdote consecranda precibus, offerri solebant. Illorum donorum pars sacris usibus destinabatur. Reliquum pauperibus atque ministris cedebat. Vid. CONSTIT. APOST. *L. VIII. Cap. 27. & 30.* et GABR. ALBASPINAEVS *L. I. Observ. V. p. 28.* et BASNAGIVS *Histoire de l'Eglise Libr. XIV. Cap. III. §. II. f. 819.* Istiusmodi dona et eleemosynae non infrequenter apud veteres vocantur θυσίαι πνευματικαί. Similiter in Missali Francorum apud JO. MABILLONIVM *l. c. p. 318.* preces et munera vocantur *sacrificium et hostiae sacris altaribus superpositae.* Apud eundem in Missali Gothico *p. 236.* dicitur immolari panis in Missa. Tandem etiam respexisse inveniuntur sacrificia spiritualia, preces, hymnos, ac gratiarum actiones cum S. Eucharistiae consecratione et usu conjungi solitas, nec non fidem et pios animi motus, quibus DEO se offerunt, qui hoc sacramento digne utuntur. Hinc in Missali Gothico apud MABILLONIVM *p. 268.* in Adscensione Domini sacerdos orat: *Laetantes inter altaria tua, Domine virtutum, HOSTIAS* tibi *LAVDIS OFFERIMVS cum Angelis et Archangelis.* Missa XIII. in Natali Agnes Virginis dicitur: *Immolamus tibi Domine DEVS noster victimam laudis*, in Missali Gothico *p. 216.* Missa XXXVI. in Vigiliis S. Paschae *p. 249. et 250.* ora-

tur pro his qui offerunt *munera DEO nostro sacrosancta SPIRITALIA* pro se et pro caris suis. Ibidem *p. 253.* oratio recitatur: *Suscipe Domine hostiam placationis et laudis et has oblationes famulorum famularumque tuarum, quas tibi offerimus, placatus adsume.* In Liturgia JO. CHRYSOSTOMO adscripta, θυσίας vox pro precibus sumitur, quae vocantur θυσίαι αἰνέσεως. Alibi dicitur S. Eucharistia θυσία πνευματικὴ, μυστικὴ, ἄναιμος, ἀναίμακτος. Qualia Patrum loca ex genuinis eorum monimentis exsignata apud nostros passim prostant. Econtrario BELLARMINVS L. I. de Missa a Cap. VI. usque ad C. XXIII. operose admodum, sed minus feliciter, probare conatur, S. Eucharistiam verum et proprium sacrificium esse.

§. XIV.

Nusquam periculosius graviusque erravit variavitque Ecclesia Romana, quam quando Transsubstantiationis commentum, antiquae et Apostolicae Ecclesiae incognitum, et inauditum, invexit, aliisque corruptelis inde nascituris, maxime adorationi panis consecrati, ansam dedit. Nam cum veteres Christi cultores corpus et sanguinem Christi secundum Servatoris pollicitationem in S. Eucharistia vere adesse, et a se cum pane vinoque sumi simplici fide diutissime credidissent, et palam saepiusque professi essent, se modum illius praesentiae ignorare, seculo post Christum natum nono, occasione controversiae cum BERENGARIO agitatae, multis, nimio contradicendi studio abreptis, istiusmodi commentum ita in mentem venit, ut varie ea de re disputaretur, usque dum Papa INNOCENTIVS III. An. Christi MCCXV. in Concilio Lateranensi, quod Pontificii Oecumenicis annumerant, apud HARDVINVM *T. VII. Concil f. 17.* definiret, *verum corpus et sanguinem Christi in sacramento altaris sub speciebus panis et vini veraciter contineri, TRANSSVBSTANTIATIS pane in corpus, et vino in sanguinem Christi.* Ab eo imprimis tempore plerique Doctores Latini in novo hoc εὑρήματι atque dogmate confirmando, expoliendo, et commendando fuere toti. Nec defuit Synodus Tridenti-

denti-

dentina, aut potius Julius III. Romanus Pontifex per eam locutus, qui Innocentianum inventum expositurus Sess. XIII. Cap. IV. apud HARDVINVM *T. X. Concil. f. 81.* declaravit: *Per consecrationem panis et vini conversionem fieri totius substantiae panis in substantiam corporis Christi, Domini nostri, et totius substantiae vini in substantiam sanguinis ejus. Quae conversio convenienter et proprie a sancta Catholica Ecclesia TRANSSVBSTANTIATIO est appellata.* Canone II. sub fulminis denunciatione sancitur, *ne quis dicat in S. Eucharistiae Sacramento remanere substantiam panis et vini*, aut neget mutationem totius substantiae panis in corpus, et totius substantiae vini in sanguinem. Inde, praeeunte GABRIELE BIELE, multi deduxerunt et monstrarunt excellentiam clericorum in papatu, dignitate ipsius Θεοτόκȣ, ut contendunt, majorem, quoniam ipsum Creatorem quotidie crearent. Praeterea etiam definiverunt temporis momentum, quo transsubstantiationem fieri opinantur, alligantes eam ad verborum institutionis recitationem. Et ut error errorum ferax est, ita ex hac opinione semel admissa fluxit detestabilis idololatria in praxi. Nam sacerdos, Missam ritu Romano celebrans, post verba, *hoc est corpus meum* ex canone super pane recitata, confestim in genua procidit, et hostiam consecratam, tanquam verum Christi corpus, et post verba: *Hic est Calix N. T. in meo sanguine*, super vino recitata, calicem, tanquam Christi sanguinem, solet adorare. Videatur MISSALE ROMANVM ex Decreto Concilii Tridentini restitutum ac Pii V. Pontificis jussu editum, et a Clemente VIII. ac Vrbano VIII. recognitum et Lutetiae Parisiorum A. M DC LIX editum *p. m. 343. et 344.*

§. XV.

Ab his erroribus abhorruit Ecclesia Apostolica et antiqua. Nam in S. literis et genuinis orthodoxae antiquitatis monumentis nullum vel rei ipsius vel nominis indicium exstat, quemadmodum JO. COSINVS, Episcopus Dunelmensis, *in Historia Transsubstantiationis Papalis*, Londini A. M. DCCLXXV. edita, docte solideque demonstravit.

 Idem

Idem EDM. ALBERTINVS, Parisiensis verbi divini minister apud Reformatos, qui Carentoni quondam suas synaxes habebant, in opere eruditissimo de *Sacramento Eucharistiae*, quod Daventriae A. M. DCLIV. latine excusum auctumque prostat, a Capite XVI. Libri primi usque ad Caput XXIII. et ultra, solidissime evicit. Adeundus etiam legendusque est BASNAGIVS *Histoire de l'Eglise Libr. XIII. Cap. V. §. II. f. 800. et L. XIV. Cap. IV. §. VII. f. 829.* Nam Apostolus S. Eucharistiam post consecrationem aliquoties appellat panem 1. Cor. X. 16. XI. 26. 27. Vnde liquet, panem manere. Quod Christus in hujus Sacramenti institutione post consecrationem discipulis porrigebat bibendum in calice, exserte dicitur *genimen vitis* Matth. XXVI. 29. Marc. XIV. 25. hoc est, *vinum.* Vnde valida fit collectio, vinum per consecrationem non desiisse vinum esse. Neque id indicant verba Christi: *Hoc est corpus meum.* Quemadmodum enim ex verbis Apostoli Corinthiis dicentis 1. Cor. XII. 27. *Vos estis corpus Christi*, male colligerem, substantiam Corinthiorum desiisse, et in corpus Christi conversam fuisse; ita idem aeque absurde colligitur de pane consecrato, etsi Servator suum corpus illum esse pronunciavit. A veritate etiam prorsus alienum est, nec ulla ratione fieri potest, ut Accidentia sine subjecto subsistant, quod tamen Pontificii perabsurde supponunt. Cumque non defuerint ex adversariis, qui doctrinam vocemque *μετȣσιώσεως* ex Concilio Nicaeno arcessiverunt, eorum errorem, praeter ceteros, confutavit THOMAS SMITH *in Miscell. p. 9.* Cetera Patrum testimonia, quibus dissentientes errorem fulcire voluerunt, Duumviri antea laudati JO. COSINVS et ALBERTINVS non tantum vindicarunt, sed et ea praesidia ex antiquitate attulerunt, quae dilucide ostendunt, veteres Ecclesiae Doctores illud Transsubstantiationis commentum profunde ignorasse. Sic THEODORETVS, citante B. CHEMNITIO *in Exam. Conc. Trid. p. 145. & 146. in primo Dialogo*, egregiam veteris Ecclesiae confessionem de hac doctrina edit: *Christus*, inquiens, *visibilia symbola appellatio-*

ne

ne corporis et sanguinis honoravit, ȣ τὴν φύσιν μεταβαλὼν, ἀλλὰ τὴν χάριν τῇ φύσει προστεθεικὼς h. e. *non transmutans symbolorum naturam, sed naturae symbolorum adjiciens gratiam*, ut scilicet simul sint etiam corpus et sanguis Christi. Idem Cyrensis Antistes *in secundo Dialogo* Cap. XXIV. ait: *Mystica symbola, post sanctificationem vel consecrationem* ȣ τῆς οἰκείας ἐξίςαται φύσεως, h. e. *non ita immutantur, ut propriam suam naturam amittant*, μένει γὰρ ἐπὶ τῆς προτέρας ȣσίας, καὶ τȣ͂ σχήματος, καὶ τȣ͂ εἴδȣς, h. e. *symbola illa post sanctificationem manent in priori sua substantia, forma et specie.* Similiter IRENAEVS Eucharistiam constare ait duabus rebus, *terrena*, pane videlicet et vino, ac *coelesti*, corpore nimirum et sanguine Christi. Vid. B. CHEMNITIVS *l. c.* Veteres mutationem substantialem rerum terrenarum in substantiam rerum coelestium non credidisse, inde quoque constat, quia unionem et communionem sacramentalem corporis et sanguinis cum pane et vino, loco similitudinis adhibuerunt ad explicandam unionem et communionem duarum naturarum in Christo, quod profecto facere non potuissent, si eo tempore, quando contra Eutychen pugnabatur, dogma Transsubstantiationis in Ecclesia notum et receptum fuisset. Secus enim EVTYCHEN non refutassent, sed in errore de commutatione et confusione duarum naturarum in Christo confirmassent. Legatur GELASII, Episcopi Romani, libellus *de duabus Naturis*, contra Eutychem et Nestorium scriptus, in quo validissima adversus conversionem panis et vini Eucharistici substantialem testimonia passim occurrunt, vindicata ab ALBERTINO *L. II. de Sacramento Eucharistiae f. 673. et 858*, nec non a BASNAGIO *in Historia Ecclesiae L. XIV. Cap. VII. §. VII. f. 844.* ubi contra HARDVINVM pereruditе more suo disputat. Constans enim veteris Ecclesiae sententia fuit, panem in Eucharistia post consecrationem non minus ac humanam naturam in Christo post unionem, superstitem esse.

§. XVI.

Superiori seculo JO. MABILLONIVS in Liturgia Gallicana, Lutetiae Parisiorum MDCLXXXV. edita, et novissime EVSEBIVS RENAVDOTIVS in *Collectione Liturgiarum Orientalium*, testimoniis ex libris veterum Liturgicis excerptis voluerunt probare, in antiqua Ecclesia cognitam fuisse *μετουσίωσιν* vel *Transsubstantiationem*. Oleum tamen operamque perdidisse non immerito censentur. Omnia quippe testimonia, quae exsignarunt et laudarunt, nihil aliud probant, quam veteres credidisse, in S. Eucharistia non nudum panem et vinum adesse atque distribui, sed ipsum corpus et sanguinem Christi. Huc pertinent orationes Liturgicae S. CHRYSOSTOMO et S. BASILIO adscriptae, ac hodienum in Ecclesiis versus Orientem sitis, usitatae, ubi sacerdos paullo ante communionem orat, ut Christus Jesus, Dominus et Deus noster, *ἀπὸ θρόνου δόξης, e throno coelestis gloriae, et majestatis, ad quam ita evectus est, ut omnia, quae promisit, potentissime efficere et praestare potest*, (en fundamentum et rationem praesentiae realis!) *descendere, et in S. Eucharistia invisibiliter adesse, ac communicantibus immaculatum corpus suum et pretiosum sanguinem, potenti sua manu, μεταδοῦναι dare velit.* Veteres enim, teste JVSTINO MARTYRE in *Apologia* ad Imperat. Antoninum *p. 129. edit. Oxon.* edocti erant, S. Eucharistiae cibum esse *τοῦ σαρκοποιηθέντος Ἰησοῦ καὶ σάρκα καὶ αἷμα, ipsius incarnati Jesu carnem sanguinemque.* Episcopus Salisburiensis in Anglia haec JVSTINI verba recitans in *Expositione Artic. XXVIII. Ecclesiae Anglicanae p. 334.* notavit, JVSTINVM et IRENAEVM talem sacramentalium elementorum sanctificationem credidisse, *qua virtus aliqua divina iis inesset.* Hoc de pluribus Patribus passim affirmavit ALBERTINVS. Idem visum fuit JO. ERN. GRABIO in *Notis* ad laudata JVSTINI verba. Sed antiquorum Doctorum testimonia non de divina Christi virtute, sed de ipsa substantia carnis et sanguinis in S. Eucharistia praesente, dilucide loquuntur. Plures ejuscemodi formulae in Graecis perinde ac Latinis veterum Liturgiis

occur-

occurrunt, quae quidem praeſentiam realem carnis et ſanguinis Chriſti probant, nequaquam autem Transſubſtantiationem. Ita Miſſale Gothicum in Ordine Miſſae XXI. apud MABILLONIVM *p. 228.* haec habet: *Cujus CARNE a te ipſo, Domine ſancte, Pater omnipotens, ſanctificata dum paſcimur, roboramur: et SANGVINE dum hauſto ſitienter potamur, abluimur per Chriſtum Dominum noſtrum.* In eodem Miſſali Gothico-Gallicano aliquoties uſurpatur vocabulum *TRANSFORMATIONIS,* quando e. g. in Miſſa S. LEVDEGARII Martyris oratur, *ut deſcendat hic benedictio tua ſuper hunc panem et calicem in TRANSFORMATIONE ſpiritus tui ſancti.* Quam vocem in eodem libello liturgico aliquoties repetitam, et in Gallicano perinde ac Francorum Miſſali obviam, JO. MABILLONIVS putavit adhiberi ad ſignificandam *Tranſſubſtantiationem* Pontificiorum. Vbi primo obſerves, barbaram iſtam vocem in nullo veterum libro Liturgico Latino, nec μετουσιώσεως vocem in Liturgiis Graecis usquam reperiri, certo indicio, rem ipſam veteribus incognitam fuiſſe. Deinde invalidum praeſidium peti ex voce *transformationis*, et ex verbo *transformare.* Quemadmodum enim μεταβάλλειν, μεταποιεῖν, μεταβολὴ et μεταποίησις, ac ipſa μεταμόρφωσις ac verbum μεταμορφοῦσθαι frequentiſſimo Graecorum uſu non ſemper ſubſtantiae, ſed qualitatum et ſtatus dumtaxat atque conditionis mutationem notant, quemadmodum vel ſexcentis exemplis probari poſſet, ſi opus eſſet, ita etiam Latinorum *transformatio* non infert confeſtim ipſius ſubſtantiae immutationem et converſionem. Servator noſter in conſpectu diſcipulorum μετεμορφώθη Matth. XVII. 2. quod VULGATVS vertit *transformatus eſt.* Nemo autem dixerit, mutatam fuiſſe ipſam Chriſti ſubſtantiam. Romani ad Chriſtum converſi, et omnes renati, dicuntur μεταμορφοῦσθαι *transformari*, uti denuo vertit interpres VULGATVS Rom. XII. 2. Ea vero μεταμόρφωσις rurſus non fit per aliquam μετουσίωσιν vel Transſubſtantiationem, ſed τῇ ἀνακαινώσει τοῦ νοός, interprete ipſomet Apoſtolo. Vana igitur eſt JO. MABILLONII ratiocinatio,

tio, Transformationem panis et vini Eucharisticam, in vetustis Liturgiis commemoratam, expositurl de Transsubstantiatione. Quando panis in S. Eucharistia consecratur, fit mutatio, sed nec substantialis, nec figurata, sed sacramentalis, qua panis a communi et naturali suo usu, cui antea destinatus erat, transfertur ad usum sacramentalem, ut sit κοινωνία corporis Christi. Magnum enim est discrimen inter sacramentalem unionem, et inter substantialem immutationem s. conversionem. Panis consecratus in usu S. coenae unitur cum corpore Christi, sed non convertitur in ipsum Christi corpus. Legimus quidem, panem benedictum κοινωνίαν corporis Christi, et medium esse sacramentaliter communicandi corpus et sanguinem Christi 1. Cor. XI 16. sed nusquam legitur, quod sit μεταποιηθὲν transsubstantiatum in corpus Christi. JVSTINVS loco antea citato docet, quod panis Eucharistiae consecratus, quem εὐχαριστηθεῖσαν τροφὴν appellat, sanguinem et carnem nostram *ALAT.* Quod de nudis accidentibus panis, de colore et sapore, dici nequit. S. CYPRIANVS *Epist. LXIII. ad Caecil.* diserte pronunciat, *vinum consecratum adhuc esse vinum.* ORIGENES Tom. XI. in Matthaeum, corpus Christi in S. Eucharistia diserte appellat ἄρτον ἁγιαζόμενον, fatente HVETIO, qui tamen ea verba male, et τῇ ὑποθέσει δουλεύων, exponit de *pane in corpus Christi transsubstantiato,* qui panis fuerit, et nunc quoque cum corpus Christi sit, panis speciem gerat, in ORIGENIANIS *L. II. Quaest. XIV. f. 179.*

§. XVII.

Panem consecratum Pontificii cultu latriae jubent adorare, ut Christum ipsum. Hoc inculcant Synodi Tridentinae Patres Sess. XIII. Cap. V. apud HARDVINVM *T. X. Concil. f. 82. Nullus dubitandi locus relinquitur, quin omnes Christi fideles PRO MORE IN CATHOLICA ECCLESIA SEMPER RECEPTO, LATRIAE CVLTVM,* qui *VERO DEO DEBETVR, huic sanctissimo sacramento in veneratione exhibeant.* Cultu latriae per se et proprie Christum adorandum esse docet BELLARMINVS

NVS *L. IV. de Eucharistia Cap. XXIX.* Sed *eandem adorationem ad symbola etiam panis et vini pertinere*, idem putat, et cultum ipsum in universa Romana Ecclesia receptum quotidiana praxis confirmat.

§. XVIII.

Qui aliquem adorat cultu latriae, debet esse certus de illius divinitate, quem adorat et colit. In ea re peccabant Samaritae, reprehensi propterea a Christo, quia nesciebant, quod adorabant Joh. IV. 22. In eandem reprehensionem incurrunt Pontificii, qui de divinitate obiecti, quod in Eucharistia adorant, nunquam certi esse possunt. Nemini quippe constare potest, an omnia requisita ad consecrationem necessaria in Sacramenti confectione adfuerint? Si panis e. g. non sit triticeus, vel admixta habeat grana alterius generis, in tanta quantitate, ut non maneat panis triticeus, vel sit alioqui corruptus, vel desit legitimus minister, aut sufficiens illius intentio, verborumque consecrantium pronunciatio, aliique defectus, non conficitur sacramentum. Et ipse consecrans non potest esse certus, se symbola, quae tamen adorat, rite consecrasse. Legatur in Missali Romano index defectuum in celebratione Missarum occurrentium, nec non BELLARMINVS, qui *Libr. III. de Justificat.* Cap. *VIII. f. 116*, Tom. III. Op. fatetur, neminem posse esse certum certitudine fidei, se percipere verum Sacramentum, cum sacramentum non conficiatur sine intentione Ministri, et intentionem alterius nemo videre possit. Cum igitur ne sacerdos quidem consecrans, nedum populus, certus esse possit, an consecratio facta sit, et is hostiam non consecratam a consecrata minus discernere possit, in quotidiana hostiae adoratione perpetuo idololatriae periculo optimi et oculatissimi quique in papatu expositi sunt. Et quamvis paulisper concedatur, consecrationem ac Transsubstantiationem vere factam esse, in quem quaeso rerum ordinem referemus Accidentia panis et vini, quae supersunt, et ab omnibus adorantur? Pro substantiis corporeis non agnoscuntur in Ecclesia Romana. Et pro Spiritibus non possunt haberi. Cujuscunque autem

ſint naturae et conditionis, creaturae tamen erunt, aut phantasmata, vel merae ac inanes rerum conditarum apparentiae. Hac ratione ſacramentalis ſymbolorum adoratio vel in mera φαντάσματα cadit, aut in creaturas. Vtrumque impium eſt et idololatricum. Hoc argumentum recte urget J. AYMON, Proto-Notarius olim Apoſtolicus, poſtea Evangelii Miniſter Reformatus factus, *in Metamorphoſes de la Religion Romaine p. 236.* Quis igitur crederet, ſuperſtitioſum ejusmodi cultum Apoſtolicae ac orthodoxae antiquitati cognitum, ſemperque uſitatum fuiſſe, quemadmodum Patres Tridentini impudenter aeque ac vane jactitarunt. Ex univerſa antiquitate nullum iſtius cultus exemplum aut teſtimonium afferri poteſt. Fideles priſcae aetatis, ſacra Euchariſtia utentes, dilaudarunt et adorarunt Chriſtum, non autem panem conſecratum. Repugnat iſtiusmodi cultus naturae panis Euchariſtici, qui poſt conſecrationem verus panis et creatura Dei manet. Qui illum panem cultu latriae adorant, ſunt idololatrae et ἀρτολάτραι, a qua impietate Eccleſiae Apoſtolicae et primitivae ſemper abhorruerunt. Feſtum etiam huic ſacramento deſtinatum recentioris eſt inſtituti. Habuit quippe auctorem VRBANVM IV. A. Chr. MCCLXI apud HARDVINVM *Concil. Tom. VII. f. 548.* Pompoſa et theatrica ejus circumgeſtatio in plateis ipſo feſto adhuc recentior eſt, agnoſcente id GENEBRARDO in VRBANO IV, ubi tradit, eam non niſi centum annis poſt incepiſſe Pataviae, atque inde in reliquas Occidentis partes manaſſe.

§. XIX.

Negant Pontificii S. Euchariſtiam rite fieri poſſe extra altaria ſolemnibus precum formulis, unctione chriſmatis, adſperſione aquae luſtralis, incenſione ſuffitus, reliquiis martyrum et ſacerdotali Epiſcopi benedictione, aliisque in Eccleſia Romana uſitatis, et in Pontificali Romano praeſcriptis cerimoniis dedicata ac conſecrata. Qua in re rurſus deſeruere veteris Eccleſiae morem, in qua ad uſum S. Euchariſtiae nequidem adhibebantur arae, vel altaria proprie dicta, ſed menſae, exemplo

Eccle-

Ecclesiae Corinthiacae 1. Cor. X. 21. Illius consuetudinis ab Apostolis introductae admodum tenaces fuerunt prisci Christiani, qui aras perinde ac ipsa delubra aversabantur. Hoc apparet ex ORIGENIS *L. VIII. contra Celsum p. m. 389.* edit. Cantabrigiens. ubi CELSO objicienti, Christianos, *βωμοὺς καὶ ἀγάλματα καὶ νεὼς ἱδρύσθαι φεύγειν, ararum, statuarum, templorumque dedicationes fugere,* Doctor Adamantius lubenter concedit, se aras non habere proprie dictas, sed pro aris Christiano cuique esse mentem suam, ex qua sursum ferantur *ἀληθῶς καὶ νοητῶς, vere ac intelligibiliter suaveolentes suffitus,* videlicet *προσευχαὶ ἀπὸ συνειδήσεως καθαρᾶς, preces e pura conscientia.* Apud MINVTIVM FELICEM OCTAVIVS, Christiani personam sustinens, §. *XXXII. p. 336. edit. Gronov.* ad Caecilii hominis pagani exprobrationem, quod Christiani *nullas habeant aras, nulla Templa, nulla nota simulacra,* responsurus, fatetur, rem ita se habere, sed subjicit: *Putatis autem nos occultare, quod colimus, si delubra et aras non habemus?* Et paullo post: *Nonne melius DEVS in nostra dedicandus est mente? In nostro imo consecrandus est pectore?* Qui scilicet secundum PRVDENTIVM *Martyre Romano:*

Aedem sibi ipse mente in hominis condidit
Vivam, serenam, sensualem, stabilem.

Consentientem habemus ARNOBIVM *Libro VII. adversus Gentes f. m. 132.* Quando autem alii seculi III scriptores, inprimis TERTVLLIANVS, *aras et altaria, sacerdotes et sacrificia* commemorant, et mensam, convivio Dominico paratam, *Aram DEI* appellant, facile intelligitur, eos non nisi improprie locutos esse, et vel precum sacrificia, vel memoriam sacrificii Christi in cruce peracti respexisse, nequaquam autem proprii nominis sacrificium, quale ea Ecclesiae aetas ignorabat, in altari obtulisse. Ita ipse TERTVLLIANVS, qui primus altaris voce de mensa sacra usus esse dicitur MATTH. LARROQVANO *Histor. Euchar. L. I. Cap. V. p. m. 50.* sententiam suam exponit sub finem libri *de Oratione* verbis hisce, non ita pridem a LVD. ANTON. MVRATORIO ex vetusto quodam codice Bibliothecae Mediolanensis *T. III. Anecdotorum* editi *Cap. XXVIII. p. 53:*

Nos sumus veri adoratores et veri sacerdotes, qui Spiritu orantes, Spiritu sacrificamus orationem DEI propriam, et acceptabilem, quam scilicet requisivit, quam sibi prospexit. Hanc de toto corde devotam, fide pastam, veritate curatam, innocentia integram, castitate mundam, agape coronatam, cum pompa operum bonorum, inter psalmos et hymnos DEDVCERE AD DEI ALTARE debemus. Eadem fere sunt quae apud ORIGENEM l. c. leguntur, et Ebr. XIII. 10. 15. Sacrae illae mensae a Christianis in Oratoriis et conventibus publicis olim usurpatae, ab initio ligneae erant. Vnde Donatistae in Africa illa fregisse, et fragmentis altarium ad aquam calefaciendam leguntur abusi, apud OPTATVM MILEVITANVM sub initium *Libri VI. f. m. 91.* Ab aetate autem Constantini M. sensim fieri coeperunt lapideae, usque dum ineunte seculo sexto in Concilio Epaonensi ligneae plane abolerentur, et Canone XXVI. decerneretur, ut *altaria, nisi lapidea, unguine non sacrentur*, apud HARDVINVM *T. II. Concil. f. 1050.* Ab hoc tempore, invalescente rituum inutilium in sacris pompa, et decrescente doctrinae puritate, *altaria placuit non solum unctione chrismatis, sed etiam sacerdotali benedictione sacrari*, secundum Canonem XIV. Concilii Agathensis anno Chr. 506. habiti, apud HARDVINVM *l. c. f. 999.* Postea demum ad altarium consecrationem accesserunt adspersio aquae lustralis, suffitus incensio, et aliae ceremoniae a RABANO MAVRO et WALAFRIDO STRABONE, aliisque commemoratae, et expositae ita, ut temporis tandem diuturnitate, injuriaque, invaluerit opinio, S. Eucharistiam fieri non posse extra altaria solemnibus ritibus consecrata, quorum ingentem, in Templis maxime primariis, numerum Pontificii exstruere solent. Qua in re rursus a veterum simplicitate desciverunt, qui non nisi unam ἱερὰν τράπεζαν in singulis Templis habebant, quem morem Graeci in hodiernum usque diem retinuerunt, uti demonstravit FRANC. GOARVS *in Notis ad Euchologium f. 16.* et nuper fassus est EVSEBIVS RENAVDOTIVS *in Collect. Liturg. Orient. p. 182.* De veteri Ecclesia Graeca res certa est. Testimonia EVSEBII CAESAREENSIS, ATHANASII, CHRYSOSTOMI, HIERONYMI, SOCRATIS, THEODORI-

DORITI, aliorumque, allegavit LARROQVANVS *l. c. m. p. 52.* In ipsa Ecclesia Romana non nisi serius, et invalescente privatarum missarum abusu ac superstitione, multiplicari coeperunt in Templis, sed adeo repente et tam copiose, ut CAROLVS M. numero earum modum statuendum esse existimaret, in *Capitul. Cap. VI. p. 422.* et *append. I. ad libr. IV. Cap. VII. p. 791.* edit. Baluz. Ante seculum octavum apud scriptores Latinos perrara, aut nulla, plurium ararum in una et eadem Ecclesia fit mentio. Liber certe Pontificalis, DAMASO et ANASTASIO vulgo adscriptus, in omnium Pontificum vitis, qui Hadrianum I. Caroli M. aequalem antecesserunt, nunquam *altarium*, sed in singulari tantum, *altaris* Ecclesiae meminit, certo indicio, altarium multitudinem recentioris et iniquioris temporis inventum esse.

§. XX.

Finis S. Eucharistiae est pia et devota mortis Christi, et beneficiorum per eam acquisitorum, recordatio et commemoratio. Vtraque comprehenditur voce ἀναμνήσεως Luc. XXII. 19. 1. Cor. XI. 24. 25. Ἀνάμνησις intelligitur practica cum gaudio, amore, gratiarum actione, et gloriosa Christi redemptoris celebratione conjuncta, ac in unicum ipsius honorem, ab omnibus S. coena digne utentibus, instituenda. In honorem Christi orthodoxa antiquitas semper celebravit S. Eucharistiae sacramentum. Sed in papatu missae non solum in honorem et memoriam Christi, sed et sanctorum, celebrari, et gloria creatoris creaturis tribui solet. Nam in Canone Missae, ubi oblatio panis fit, post offertorium sacerdos haec verba recitat: *Suscipe sancte Pater omnipotens, aeterne Deus, hanc immaculatam hostiam, quam tibi offerimus ob memoriam passionis, resurrectionis et ascensionis Jesu Christi Domini nostri: IN HONOREM b. Mariae semper virginis, et omnium sanctorum, ut illis proficiat AD HONOREM, nobis autem ad salutem.* Ipsi fatentur Pontificii, S. Eucharistiam non aliter, nisi in memoriam Christi, qui id praeceperit, celebrandam. Hoc quippe sacrificium cultum esse soli Deo proprium. Hinc in Canone post consecrationem calicis

 sacer-

ſacerdos ait: *Quotiescunque haec feceritis, IN MEI,* Chriſti ſcilicet, *MEMORIAM facietis.* Sed hoc Domini mandatum ſaepe negligitur. In Miſſa S. Annae, Secreta: *Super HANC OBLATIONEM, quaeſumus, omnipotens Deus Pater, quae IN MEMORIAM ſanctiſſimae Annae conſecratur.* Neque conſecrationem tantum ſymbolorum faciunt in memoriam ſanctorum, ſed et ipſam communionem, et S. Euchariſtiae uſum. Ita in Communi confeſſorum non Pontificum. Poſtcommunio: *Refecti cibo potuque coeleſti Deus noſter te ſupplices exoramus, ut IN CVIVS* haec *COMMEMORATIONE PERCEPIMVS, ejus muniamur et precibus.* Calendis Auguſti in feſto Maccabaeorum fratrum oratur: *Myſteria tua, Domine, PRO SANCTORVM MARTYRVM TVORVM HONORE, devota mente tractemus.* Eodem die fit commemoratio S. Pauli, et denuo oratur: *Perceptis, Domine, ſacramentis, B. Paullo Apoſtolo tuo interveniente, deprecamur, ut, QVAE PRO ILLIVS CELEBRATA SVNT gloria, nobis proficiant ad medelam.* Pontificii igitur *in honorem ſanctorum* Miſſam celebrantes, pretioſum corpus et ſanguinem Chriſti, pro peccatis noſtris traditum et effuſum, ipſis offerunt, hoſtiam pro genere humano immolatam ipſis ſacrificant, ſacraque non Deo ſolum, ſed et ſanctis et martyribus faciunt ſimul. Proteſtentur, quoad velint, de injuria ſibi facta. Nullus ſane alius ſenſus ex formulis iſtis loquendi auditorum et lectorum animis ingeneratur. Qui contrarium nobis perſuadere conantur, impoſtores agunt. Iidem ut in honore et cultu ſanctis demortuis deferendo admodum profuſi ſunt, ita eo tandem delabuntur, ut ex iis non tantum intercesſionis, ſed et redemtionis Mediatores faciant, et Deo ac Servatori noſtro prorſus aequiparent. Sic in feſto S. Jacobi Apoſtoli die XXV. Julii Miſſale Romanum *p. m. 653.* hanc praeſcribit orandi formulam: *Oblationes populi tui, quaeſumus, Domine, B. Jacobi Apoſtoli paſſio beata CONCILIET, et quae noſtris non aptae ſunt meritis, fiant tibi placitae ejus deprecatione.* Ita D. JACOBO ejusque paſſioni tantum adſcribitur meritorum robur, ut Deum hominibus conciliare,

eorum-

eorumque oblationes gratas acceptasque facere possit. Quae sententia non tantum Christo unico nostro Redemptori contumeliosa, sed et blasphema est. Plures ejusmodi formulas ex libris Romanae Ecclesiae liturgicis excerpsit JO. AYMON *l. c.* Hunc abusum non improbarunt Tridentini Patres, sed docuerunt, *missas interdum in honorem et memoriam Sanctorum celebrari posse*, Sess. XXII. Cap. 3. Sed Apostolorum aetate, et tribus integris post Christum natum seculis, nulla sanctorum in missarum celebratione unquam facta est mentio. IGNATIVS, IRENAEVS, TERTVLLIANVS, CYPRIANVS, GREGORIVS THAVMATVRGVS, de Missis in honorem sanctorum celebratis, altissime silent. *Oblationes* enim *pro defunctis et pro natalitiis, annua dormitionis die*, TERTVLLIANI et CYPRIANI aetate in Ecclesia Africana factae, huc non pertinent. Seculo quarto in missae celebratione commemorari quidem sancti coeperunt, sed sine invocatione, et honoris indebiti delatione, atque hunc dumtaxat in finem, ut eorum virtutes a superstitibus recolerentur, Deusque rogaretur, vellet ipsis quoque, intuitu fidei sanctorum, et generalis in coelo intercessionis, ea beneficia et virtutes, quibus illi aliquando ornati fuerant, benignissime conferre. Superstitio enim, quae temporis demum processu et injuria, Ecclesiam inundavit, eo seculo exulabat. Postea quinto et sexto seculo multa eximiaque elogia, ut auditores ad martyrum et sanctorum imitationem vehementius accenderentur, accesserunt, ita tamen, ut nusquam in illorum temporum monumentis genuinis legamus, missas in sanctorum memoriam vel honorem, vel ad eos invocandos, celebratas esse, quippe quae recens sequioris aetatis et corruptae Ecclesiae inventum sunt, quo certae missae, quae in solius Dei gloriam celebrari debebant, singulari sanctorum honori dedicantur, eorumque velut Semi Deorum encomia, cum auxilii et patrocinii imploratione, decantantur. Falsissimum proinde est, quod M. J. GRANCOLASIVS, Theologus Parisiensis, in Tractatu *de Liturgiis Antiquis* Gallice edito *P. I. p. 605.* tanto studio assevera-

re

re ausus est, semper in Ecclesia
cio sanctorum memoria celebr
tentiam quasi retractaturus et em
tiquitatem ad longi duntaxat te
strinxerit *T. II. p. 393. C'est une*
l'Eglise d'offrir le sacrifice en
remercier Dieu de la victoire, q
monde. At vero etsi Ecclesiae ve
celebrantes, pro demortuis in sa
ut commodum aliquod iis imp
ipsa S. Eucharistia in eorum hon

§. XX

Differendi finem facturis insigni
formulis Liturgicis facta circa preces
litiis S. Leonis Papae precabantur: *A*
famuli tui Leonis haec prosit oblatio,
tribuisti relaxari delicta, per etc. H
S. GREGORII *Libro Sacramentorum*
Romano recentiore mutarunt ea in
B. Leonis haec nobis prosit oblatio, qu
III. P. M. *sancti orationibus nostris n*
gor. L. III. de Celebr. Miss. Tit. XLI.
En insignem mutationem in Missa L
mulat glossa, INNOCENTII verbis a
ipso, hodie ipse orat pro nobis, ET I
mus igitur confitentes reos. HVGO
mentarii Gregoriani *p. 167.* difficulta
tur persuadere, formula nova, *ut int*
prosit oblatio, nihil aliud significari,
Leoni ad gloriam vel ad honorem. S
NOCENTIO Pontif. l. c. sed et ab i
te, quae hunc sensum nequaquam a
dogmatum specimina abunde prob
addictos, ab Apostolica et primaev
judice BOSSVETO, vera
non esse. Q

) o (

Ecclesia usitatum fuisse, ut in sacrifi-
a celebraretur. Quamvis ipse sen-
us et emendaturus, istius abusus an-
ntaxat temporis consuetudinem re-
est une ANCIENNE PRATIQVE de
ifice en l'honneur des Saints, pour
ctoire, qu'ils ont remportés sur le
clesiae veteris fideles, S. Eucharistiam
uis in sacrificio Deum precati sunt,
l iis impetrarent, nusquam tamen
orum honorem legitur celebrata.

§. XXI.

uris insignis adhuc succurrit mutatio in
irca preces pro mortuis. Olim in Nata-
bantur: *Annue nobis, Domine, ut animae*
sit oblatio, quam immolando totius mundi
er etc. Haec verba hodienum exstant in
mentorum p. 112. Sed postea in Missali
unt ea in hanc formam: *Ut intercessione*
oblatio, quoniam, judice INNOCENTIO
s nostris non indigent. Vid. Decret. Gre-
Tit. XLI. Cap. VI. §. Quaesivisti. p. m. 809.
in Missa Latina factam, quam non diffi-
II verbis adscripta: *Olim orabatur pro*
bis, ET ITA MVTATVM EST. Habe-
. HVGO MENARDVS in Notis sacra-
difficultatem sublaturus, lectores cona-
va, *ut intercessione B. Leonis haec nobis*
significari, quam *ut haec prosit oblatio*
norem. Sed refellitur non solum ab IN-
sed et ab ipsamet verborum perspicuita-
uaquam admittunt. Haec mutatorum
nde probant, coetus Romano Pontifici
primaeva Ecclesia palam defecisse, et,
O, veram Eccesiam Christi
n esse. Q. E. D.

) o (